actio de in rem verſo, quia qui de peculio agit, deducere in judicio cenſetur etiam actionem de in rem verſo, *lib. 1. & 2. ff. de in rem verſo*. Quapropter quamvis tibi abſoluto in priori judicio competat exceptio rei judicatæ, quæ mihi iterum agenti ſtricto juris rigore obeſt, ſive intendam actionem de in rem verſo, ſive de peculio; tamen in æquitate, ut ſupra dixi, mihi permittitur denuo agere reſtituta mihi actione propter communem errorem, ex clauſula, *Si qua mihi juxta cauſa*, *l. 1. ff. ex quibus cauſis major.* cum reſtitutio illa concedat tantum quantum abſtulit læſio, *lib. 2. Cod. ſi ex falſis*: & quia *in d. §. final.* actum fuit principaliter actione de peculio, ut conſtat ex eo, quia oppoſita fuit exceptio, quæ actionem de peculio, non vero de in rem verſo elidit, ideo Jureconſultus reſpondet, poſſe iterum agi ex eadem actione de peculio.

18 Expenditur l. græcæ 5. ff. de pign. Rurſus ex ſupra traditis exponendus eſt textus *in leg. Græce, §. ſi ſub conditione 5. ff. de pignor.* ubi proponitur, quod ſi debitum ſub conditione cauſali, vel mixta contractum ſit, & pure adjecta hypotheca, non recte ante adventum conditionis agitur, neque ad debitum, cum pendente conditione nihil debeatur, *leg. cedere, ff. de V. S.* nec hypothecaria, cum pignoris obligatio ſit acceſſoria & naturam ſequatur principalis; ſed ſi actum ſit ante conditionis eventum, ideoque reus abſolutus fuerit, ut *in l. bovem 43. §. fin. ff. de ædil. edict.* & poſtea conditio venerit, poteſt actor rurſus eamdem actionem proponere: quia tunc ex nova cauſa agit, ut in præſenti textu, & *in l. ſi mater 11. §. eamdem, ff. de exc. rei judic.* & *in l. ſi cui 25. §. 1. ff. de liber. cauſ.* ubi ſervus, qui ad libertatem proclamavit, & victus fuit in primo judicio, eique poſtea libertas ex alia cauſa obtigit, poteſt iterum ad libertatem proclamare in alio judicio. Similiter etiam *in l. ſi ſervus 42. ff. de liberali cauſa*, docetur quod ſi ſervus a me emptus ad libertatem proclamavit, & ego in judicio ſuccumbam, poſteaque ex titulo pro herede, vel ſimili dominium ejus acquiram, poſſum illum in judicio petere abſque metu exceptionis rei judicatæ, quia ex nova cauſa ago, ut *in d. l. Græce, §. 5.* Nec tunc obſtat text. *in l. ſi mater 11. §. fin. ff. de except. rei judic.* ubi docetur, quod ſi Titius, qui pignori rem Sejo obligaverat, tecum agat in judicio ſuper ejuſdem rei dominio, iſque ſuccumbat, & poſtmodum Sejus tecum experiatur actione hypothecaria, dicens rem illam ſibi pignori obligatam eſſe, diſtinguendum eſt; nam ſi antequam Titius tecum de jure dominii contenderet, rem pignori obligavit, nequaquam nocet illi exceptio, quin ſalva ei ſit actio pignoratitia, juxta text. *in l. 3. de pignor. l. 5. C. eod. tit.* At vero ſi poſtquam Titius victus fuit, pignori rem obligavit, tunc Sejo obſtabit exceptio rei judicatæ. In qua parte difficilis videtur textus ille, cum potius Sejus agat ex nova cauſa, quam ex antiqua. Sed reſpondendum eſt, in hoc ſecundo diſtinctionis membro attendendam eſſe perſonam debitoris, ideſt Titii, contra quem prima ſententia lata fuit, & cui nulla nova cauſa, novumque jus contigit, cujus ratione agere poteſt, nec per conſequens Sejus agere valet, qui ſucceſſiſſe videtur in ejuſdem Titii locum, & perinde habetur, ac ſi ipſe Titius ageret, idcircoque exceptio rei judicatæ illi obſtat, ut in non diſſimili ſpecie docet Papinianus *in leg. judicatæ 19. §. ult. ff. eod. tit.*

19 Explicatur l. qui cum herede 15. de O. & A. Tandem exponendus eſt Julianus relatus *in l. qui cum herede 15. ff. de O. & A.* cujus ſententia fere eiſdem verbis refertur *in l. 1. ff. de except. rei jud.* ubi cum quidam in teſtamento extraneo herede inſtituto filium ſuum emancipatum præteriiſſet, quo caſu filius petita bonorum poſſeſſione contra tabulas poteſt patris teſtamentum reſcindere, *ex l. 1. & per totum ff. de bonor. poſſeſſ. contra tabul.* & antequam illam peteret, creditor hereditarius agat cum herede ſcripto, contendens ſibi dari oportere, & ſubmoveatur exceptione illa, quia in ea cauſa ſunt tabulæ teſtamenti, ut contra eas bonorum poſſeſſio dari poſſit, atque ita judicatum fuerit ſecundum ſcriptum heredem, quæritur an mox filio omittente bonorum poſſeſſionem, ideſt non petente intra annum conceſſum ad illam impetrandam, *lib. 1. §. largius, ff. de ſucceſſ. edict.* creditor prædicta exceptione repulſus poſſit iterum agere adverſus heredem ſcriptum? Et in utraque lege docetur, actionem reſtituendam eſſe creditori, ut iterum agat. Ratio eſt, quia mutatus fuit cauſæ ſtatus; nam cum actum fuit in priori judicio, pendebat tempus intra quod filius poterat petere bonorum poſſeſſionem: & tunc heres quodammodo debitor non erat, cum prædicta exceptione tutus eſſet, *l. creditor 10. ff. de V. S. l. vel obligatus 30. §. obligatum 30. ff. de liber. cauſa*. At vero poſt elapſum tempus petendæ bonorum poſſeſſionis, jam heres ut debitor conſideratur, *l. 1. ff. unde liberi, argumento legis filio, in fine, ff. de injuſto rupto*: ideoque cum ſtatus cauſæ mutatus ſit, tamquam ex nova cauſa creditori agenti non obeſt exceptio rei judicatæ: quatenus vero in ea ſpecie neceſſaria ſit actio reſtitutoria, exponit Giphanius *in d. l. 15.* Nec huic legi, & dictæ legi 2. opponitur Papinianus *in l. cum hereditas 49. §. 1. ad Trebel.* dum docet, filio deliberante de bonorum poſſeſſione contra tabulas, ſcriptum heredem recte a creditoribus hereditariis conveniri, nam ſententia illius §. eſt accipienda juxta caſum propoſitum a Conſulto initio ipſius legis, nempe quando timetur, ne pro tempore creditores amittant actiones ſuas, ut conſtat ex illo verſ. „ Et „ metus erit, ne per abſentiam forte fideicommiſſarii dies actionis exeat. „ Junctis prioribus verbis ipſius §. 1. ibi: *Simili modo*. Exemplum extat in actione ædilitia, quæ per ſex menſes tantum durat, *l. ſciendum 19. §. fin. & ſequenti, ff. de ædilit. edict.* quo caſu, & ſimilibus etiam, deliberante filio poteſt heres ſcriptus conveniri, ut docet Cujac. *l. 4. ff. Juliani in d. l. 15.* & *l. 3. qq. Papin. in d. l. cum hereditas*, & *l. 20. obſerv. c. 35.* Giſanius *in d. l. 15.*

20 Remittuntur varia jura. Ex traditis etiam in hoc commentario explicari poſſunt textus *in l. 3. Cod. de petit. heredit. leg. ſed ſi ante 17. ff. de except.* juncto Cujacio *lib. 15. obſerv. cap. 37. l. ſi Titio 33. §. 1. de uſufruct.* juncta *l. ſi cum 21. §. ſed & ſi: ff. de except. rei judic. leg. non ignorat, Cod. de fructib. & litium, leg. qui ſolidum 78. §. etiam, de legat. 2. l. diverſa 17. §. fin. ff. ſolut. matrim. l. amplius, ff. rem ratam haberi*, juncta lege *quamvis, ff. de in jus voc. l. 5. §. ſi uxor 7. de donat. inter, l. ſi libertinus 4. ff. de colluſ. deteg. leg. bona 35. §. 1. ff. de jure Fiſci, l. Paulus 43. de re judic. l. ſi qui uxoris 52. §. ſi quis juraverit 27. ff. de furtis, leg. ſi duo 13. §. Idem Julianus, ff. de jurejur. l. ſi pariter 9. §. ult. ff. de liber. cauſ. l. inter 44. §. 1. ff. famil. erciſc. l. ſi fundus 15. §. creditor, ff. de pignor. leg. ſervus 20. §. ult. cum l. ſequenti, leg. cum a te 25. ff. de dolo, l. denuntiaſſe 7. §. quæritur, ff. ad leg. Julium de adult. l. maritum 10. ff. de uſufruct. accreſc. l. fin. C. de petit. hered. l. 9. ff. de lib. cauſ.* juncto Cujacio *l. 22. obſerv. c. 15. l. 7. §. ult. de curat. furioſ. l. 1. §. ult. ff. ſi famil. furtum l. 19. in princ. ff. de pecul. l. 33. §. 1. ff. de uſufruct.* juncto Cujacio ibi, *l. 7. qq. Papin. l. 4. §. ſi detracta, ff. de noxal. l. 58. §. ult. l. 85. §. fin. ff. de furtis, l. ſi duo 34. de arb.* cum aliis congeſtis ab Hothomanno *l. 6. obſerv. cap. 23.* Donello *l. 22. comment. c. 5.* Petro Fabro *lib. 10. ſemeſtr. cap. 21.* Langleo *lib. 5. ſemeſtr. c. 2.* Cujacio *lib. 20. qq. Papin. in l. 70. ff. de legat. 2.* Pichardo *in §. item, Inſtit. de except.* Valent. *tom. 2. illuſtr. tr. 2. c. 10. n. 22.* Meſa *lib. 1. var. cap. 5.* & *cap. 39.* Oſuald. *lib. 16. c. 15. litt. F.*

C A P U T   X V I.

a Idem.

VEnerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum Narbon. qui a judicibus ex ſufficienti gravamine ad Apoſt. Sedem appellans, ad vos ſuper appellatione ſua noſtras litteras reportavit, etſi ex cauſis aliis tempore *b* impetrati reſcripti vinculo fuerit excommunicationis adſtrictus, de quibus ibi mentio non habetur, ad proſequendam tamen per eaſdem litteras *c* appellationem prædictam decrevimus admittendum. Quia nihil excommunicato appellare prodeſſet, ſi non poſſet appellationem ſuam proſequi, & ſuper ea litteras impetrare.

N O T Æ.

1 a IDem.) Non apparet, neque liquet Prælatus, cui reſcripſit Gregorius in præſenti: illud tantum ex littera conſtat, agere Pontificem de lite mota cum Narbonenſi præſule, qui temporibus Gregorii IX. erat Guido Groſſus, natione Narbonenſis, prius Epiſcopus Anicienſis, mox Narbonenſis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Sabinenſis, tandem Summus Pontifex Clemens IV. dictus, ut referunt Chenu *in ſerto Præſulum Narbon.* Fratres Sammarth. *to. 3. Gall. Chriſt.*

2 b *Impetrati reſcripti*.) An excommunicatus poſſit impetrare reſcripta gratiæ, ſeu juſtitiæ, expoſui *in cap. 26. de reſcriptis*: & noviſſime diſputat Moez *in cap. primo, de reſcriptis in 6.*

c *Appellationem ſuam proſequi*.) Juxta adducta *in c. cum inter, c. dilecti, hoc tit.* ex quorum commentariis præſens petendum eſt.

T I T U L U S   X X V I.

De præſcriptionibus.

C A P U T   P R I M U M.

Ex Concilio a Africano.

ITem placuit, ut etiam ſi quiſquam poſt *b* leges aliquem locum ad Catholicam unitatem converterit, ſi eum per triennium nemine repetente retinuit, ulterius ab eo non repetatur. Si tamen per ipſum triennium fuit Epiſcopus qui poſſet repetere, & tacuit, præjudicium patietur. Si autem *c* non fuit, non præjudicetur matrici, ſed liceat cum locus acceperit Epiſcopum, quem non habebat, ex ipſo die intra triennium repetere. Itemque ſi fuerit Epiſcopus ad Catholicam ex *d* Donati parte converſus, non ei præjudicet præfinitum tempus: ſed ex quo die converſus eſt, habeat per triennium poteſtatem repetendi loca, quæ ad ipſam pertinebant Cathedram.

N O T Æ.

1 a AFric.) *Canon. 86.* ut in Latinis libris eſt, in Græcis *canon. 109.* Concilio Carthaginenſe III. apud Tilium *canon. 123.* apud Balſamon. *canon. 121.* in codice canonum Eccleſiæ African. *canon. 129.* ex quo codice textum ita tranſcribo. Quare tamen canon iſte, & alii ſimiles, cum ſint Concil. Carthagin. tribuantur Concilio Africano, expoſui *in c. 1. de arbitr. c. 1. de judic.*

b *Poſt leges*.) Imperatoris Honorii videlicet, de quibus *in l. 41. C. Theod. de hæret.* & ſtatim agemus.

c *Non fuit*.) Quia impedito non currit præſcriptio, ut probavimus infra *in c. ex tranſmiſſa, hoc tit.* & ſignanter in Eccleſia vacante probat Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 132. per totam*.

d *Ex Donati*.) Cujus ſchiſmatis hiſtoriam, & collationem inter Catholicos, & Donatiſtas habitam, late referunt Optatus Milevit. Balduinus, & alii nuper editi a Gabriele Albaſpineo Epiſcopo Aurel.

COMMENTARIUM.

2 LIcet non permittatur Epiſcopo alterius Epiſcopi Cathedram occupare, aut invadere, ſeu conculcare, ut dicitur in canone 17. Concilii Arelat. 1. ibi: " Ut nullus Epi„ ſcoporum alium Epiſcopum conculcet: „ quod tranſcendere vocarunt Patres Concilii Chartag. 1. *can.* 10. ibi: " Ne quis tranſcendat Epiſcopum collegam ſuum; „ & pulſare appellarunt in can. 11. Concilii Carthag. 2. ibi: " Pulſare „ diœceſim, & plebem alterius: „ item ſupergredi, in can. 20. Concilii Carthag. 3. ibi: " Supergrediatur in diœceſi col„ legam ſuum: „ Tamen in præſenti ſtatuitur, triennio præſcribi alienam plebem ad Catholicam unitatem miniſterio prædicationis per Epiſcopum converſam, ita ut eo tempore elapſo, acquiratur Epiſcopo illi qui per prædicationem lucrifecit. Quæ Concilii Carthaginenſis Sanctio merito Interpretibus difficilis viſa eſt, quia omnia ſubſtantialia præſcriptionis in præſenti caſu deſunt. Primo, nam Epiſcopus alienam plebem occupans, etiam miniſterio prædicationis, ſcit eam alienam eſſe, & per conſequens malam fidem habet, *c. ſi virgo 34. q.* ſed poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit, *c. vigilanti, c. fin.* ubi dicemus, *hoc tit.* Igitur in præſenti ex defectu bonæ fidei præſcriptio dari non poteſt. Secundo, nam etiam ex ſacro canonum jure ad præſcriptionem titulus deſideratur, *c. ſi diligenti*, ubi probabimus, *hoc tit.* ſed in præſenti caſu non adeſt titulus lucrativus, aut oneroſus: igitur etiam ob defectum tituli procedere non poterat præſcriptio. Tertio, quia legitimum tempus etiam deeſt in præſenti præſcriptione; nam in rebus Eccleſiaſticis, quantumvis titulus, & bona fides adſint, non procedit præſcriptio, niſi quadragenaria, *authent. quas actiones, C. de ſacroſ. Eccl. c. ad aures, c. illud, c. indicante, c. auditis, hoc tit.* Igitur in præſenti caſu ex defectu ſubſtantialium ad præſcriptionem videlicet, bonæ fidei, juſti tituli, & legitimi temporis, non poterat procedere præſcriptio. His accedit textus *in c. placuit 16. q. 3.* ubi in hac eadem ſpecie docetur, ad præſcribendam plebem ſpatium ſex menſium tantum deſiderari.

3 Refertur communis intellectus. Quibus difficultatibus oppreſſi repetentes in præſenti, & communiter Doctores, docent præſentem canonem ſpecialiter procedere ob fidei favorem, & ut ita Epiſcopi Catholici alliciantur, & invitentur ad converſionem populi a ſchiſmate Donatiſtarum, ut docuerunt in præſenti Gloſſa 1. Butrius *n. 7.* Panormitan. *notab. 1.* Pariſius *n. 2.* Balbus *de præſcript. 2. p. 3. princ. q. 14. in fine*, Gomezius *in reg. de triennali, qu. 42.* Mandoſius *in eadem regul. q. 7.* Covarruv. *in regul. poſſeſſor, 2. part. de R. J. in 6. §. 11. n. ult.* Menchaca *illuſtr. c. 72. n. 7.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg. 131.* Tapia *2. tom. Catenæ moral. l. 5. q. 23. art. 5. n. 6.* quia in fidei favorem, & odium Epiſcopi negligentis prædicationem propriæ plebis, potuit lex Pontificia permittere præſcriptionem cum mala fide, ſicut Princeps poteſt ex juſta cauſa rem ab uno auferre, & alii tradere, ut in *l. item ſi verberatum 15. §. 1. ff. de V. l. Lucius 21. ff. de evict.* faciunt quæ congerunt Pinellus *in rubric. reſcind. vendit. 2. p. n. 4.* Mendoza *l. 1. de pactis, c. 3. n. 27.* Covar. *in regul. peccatum, 2. part. §. 9. n. 5.* ſicut ob juſtam cauſam permittitur præſcriptio triennalis ſalarii familiarium *in l. 9. tit. 15. l. 4. recopil.* quam ex hoc textu illuſtrat Silva in ejus commentario, *q. 1.* Verum hæc interpretatio facile refellitur ex eo, quia verius eſt, præſcriptionem nulla cauſa cum mala fide permitti poſſe; ſiquidem cum peccato nulla acquiſitio licita eſt, *dict. c. final. hoc tit.* Quare hac interpretatione omiſſa dicendum eſt, nullum religionis favorem attendi in præſenti caſu quoad bonam fidem, ſed tantum quoad tempus præſcriptionis. Quod ut facilius perpendatur, ſciendum eſt in illa difficili quæſtione, utrum videlicet ex rei alienæ ſcientia, an ex ſcientia vitioſæ poſſeſſionis procedat mala fides, quam examinat Schifordeg. *ad Fabrum l. 3. tr. 23. q. 7.* veriorem ſententiam eſſe, ex injuſta poſſeſſione malam fidem oriri, & eum qui ſcit rem alienam eſſe, non illico incidere in malam fidem, ut contingit in caſibus relatis *in l. improba 7. l. per procuratorem 8. C. de acquir. poſſeſſ. l. Prætoris 6. l. ſi finita 15. §. Julianus 16. & 27. ff. de damno infecto, l. & generaliter 28. ff. de noxal. act.* ibi: „ Quam„ vis ſciens alienum poſſideam. „ Defendunt Cujacius *l. 6. ad African. in dict. leg. generaliter 28.* Collega noſter Dom. Franciſc. Valderamia *in c. final. hoc tit. en num. 39.* quoniam conſcientia rei alienæ debet accipi non pro quavis ſcientia, ſed pro ea tantum, quæ conſcientiam lædit, & malam fidem producit: hoc eſt, quæ conjunctam habet ſcientiam vitioſæ poſſeſſionis, idem enim eſt habere conſcientiam rei alienæ, ac ſcire alienum poſſidere, ut docet Ulpian. *in l. ſi uxor 19. ff. de donat. inter*, ibi: „ Virum autem ſcientem alienum poſſidere, ideſt injuſte poſſidere. „ Gajus *in l. quam rem 38. ff. de uſucap.* ibi: " Quia intelligit ſe alienum poſſidere, & ob „ id mala fide poſſidet: „ quia videlicet nullam juſtam cauſam poſſidendi habet, ut prædonem definit Ulpianus *in l. ſed etſi 25 §. quod autem, 3. ff. de petit. hered.* quo modo exaudiendus eſt Divus Auguſtinus relatus *in dict. c. ſi virgo*, in illis „ verbis: " Sicut in jure prædiorum tamdiu quiſque bonæ „ fidei poſſeſſor rectiſſime dicitur, quamdiu ſe poſſidere igno„ rat alienum. „ Quæ poſteriora verba ex Gajo, Ulpianoque ſanctum Doctorem accepiſſe, innuunt quæ ſequuntur. " „ Cum vero ſcierit, neque ab aliena poſſeſſione receſſerit, „ tunc malæ fidei poſſeſſor perhibetur. „ Unde malæ fidei poſſeſſor eſt, qui ſcit alienum detinere injuſte, & contra leges ſcit ſe poſſidere, *leg. quemadmodum, C. de agric. l. 11.* & quoad poſſeſſionem bonæ fidei hæc ita exponenda ſunt, ut non exigatur conjunctim, quod poſſeſſor ignoret rem alienam eſſe, & juſtam etiam poſſeſſionem habeat, ſed disjunctim potius in hunc modum, quod vel ignoret rem alienam eſſe, vel quamvis ſciat rem alienam eſſe, eam tamen juſte, hoc eſt auctoritate judicis, poſſideat; eam tamen juſte poſſidet, qui auctore Prætore poſſidet, *l. juſte 11. ff. de acquir. poſſeſſ. l. qui auctore 137. ff de V. O.* multoque magis juſtus poſſeſſor erit, qui auctoritate legis poſſidet, quamvis ſciat alienum poſſidere, *l. locum, C. de omni agro deſert. l. 11.* ideo in præſenti caſu Epiſcopus, quia juſte poſſidet juris auctoritate, quamvis ſcienter alienam plebem detineat, non ideo dicitur malæ fidei poſſeſſor: docuerunt Cironius *in parat. ad hunc tit.* Illuſtr. Tapia *2. tom. catenæ mor. l. 5. q. 23. art. 5. n. 2.* Valderamia *in d. c. finali, n. 50.* Hieron. Aſin. *in rubric. C. de uſucap. nu. 226.* unde provenit, quod Epiſcopus in præſenti caſu alienum acquirens populum, juſtum habet titulum poſſidendi; quia auctoritate legis canonicæ poſſidet, & ideo legitimo titulo munitus eſt, ut in caſibus dictæ legis *generaliter*, dictæ legis *ſi finita, §. Julianus*. Nec audiendus eſt Covarruv. *in d. regul. Poſſeſſor, 2. p. §. 11. n fin.* qui affirmat, juſtum titulum præſentis præſcriptionis fuiſſe titulum pro derelicto, qui ſufficiens eſt ad uſucapionem, *l. 1. & per totum ff. pro derelicto*. Faciunt lex *locorum*, lex *qui agros, C. de omni agro deſert.* Sed cum non parum interſit inter populum deſerere, & ejus converſionem negligere, ut probat Balboa *hic, n. 17.* ideo titulus pro derelicto ad hanc præſcriptionem non accommodatur, quæ fundatur in ſola deſertione: tunc enim populus ad fidem converſus, etiamſi pro derelicto haberetur ab Epiſcopo proprio, non poſſet etiam intra triennium ab ipſo repeti; nam cum primum alius occupat rem habitam pro derelicta, antiquus dominus nullum ad eam poteſt habere regreſſum, *l. 1. ff. pro derelicto*.

Difficilius eſt, quod de tempore hujus præſcriptionis, & ex 4 Exponitur c. placuit 16. q. 3.
dicto *c. placuit*, expendebamus, cui ut primarii noſtri ſatisfaciant, duos caſus diſtinguunt. Primus eſt quando nulla præcedente admonitione proprii Prælati Epiſcopus per prædica-

tionem alienum populum convertit. Secundus eſt, cum præceſſit admonitio. Primo caſu affirmant procedere ſententiam hujus textus, ita ut triennali præſcriptione acquiratur populus nova prædicatione ad fidem converſus: ſecundo vero caſu exiſtimant procedere textum *in d. c. placuit*, ut ſpatium ſex menſium ſufficiat cum admonitione ad populum lapſum, & ad fidem converſum per præſcriptionem acquirendum. Qua etiam diſtinctione declaratur textus *in l. alienum, C. de omni agro, l.* 11. nec ex diametro opponitur textui *in l. qui agros, C. eodem tit.* juncto Renato Chopino *de privil. ruſtic. l.2. c.1.* docent Germonius *l. 1. animadv. c. fin.* Petrus Gregorius *l.40. ſyntag. c.5. n.34.* Sed hæc interpretatio refellitur ex eo, nam ſex menſes, de quibus *in d. c. placuit*, non proſunt ad præſcriptionem: nam Epiſcopus alienus in illis populum poſſidet; ſine poſſeſſione vero nulla præſcriptio procedit. Deinde quia ſi non præceſſerit admonitio proprii Epiſcopi, ut ſuum lucretur populum, nec alienus Epiſcopus poteſt illum occupare, nec eſt locus præſcriptioni triennali, de qua in hoc textu. Alii exiſtimarunt præſentem textum ſuppleri debere ex textu *in d. c. placuit*, & e contra; nam ſex menſes præfiniti in eo textu currere incipiunt a die admonitionis, & aſſignantur ad hoc ut proprius Epiſcopus in mora conſtituatur, & licitum ſit viciniori Epiſcopo reductionem illius plebis ad Catholicam fidem curare: triennium vero, de quo in hoc textu, incipit a die converſionis, & datur proprio Epiſcopo ad illius plebis repetitionem. Ita Gloſſa 1. hic, & *in d. c. placuit*, Covarr. *in d. regula poſſeſſor, 2. part. §. 21. n.8.* Pariſius *hic, n. 8.* Sed hæc interpretatio neutri ex his canonibus convenit, nam in præſenti nulla fit mentio monitionis, aut ſex menſium, nec *in d. c. placuit*, ullum verbum extat triennalis præſcriptionis: deinde quia ſex menſes, de quibus *in d. c. placuit*, non aſſignantur tantum, ut Epiſcopus negligens dicatur, ſed etiam ut illis elapſis alius Epiſcopus, per converſionem plebis illam ſtatim acquirat; ita ut ulterius triennium non deſideretur, ut colligitur ex illis verbis: *Ad eum pertineat*; junctis præcedentibus, ibi: *Ad ſuam Cathedram pertinentia*. Tandem alii reſpondent *in d. c. placuit*, proponi tempus, poſt quod licet populum lapſum per prædicationem acquirere; in præſenti vero referri tempus intra quod Epiſcopus poteſt illum repetere. Docent igitur gloſſa marginalis, Hoſtienſis, & Joann. Andreas in præſenti, quod ſi Epiſcopus negligens fuerit in converſione ſuæ plebis, debet a vicinis Epiſcopis commoneri: & ſi adhuc in mora ſit per ſex menſes, poterit quilibet ex vicinis per prædicationem, & converſionem illum acquirere, & ita per converſionem ſolam populum lucratur; non perfecte & irrevocabiliter, ſed revocabiliter; nam ſi ſuperveniat proprius Epiſcopus, poterit loca ita converſa intra triennium repetere, & ſi id per triennium omiſerit, ulterius non auditur, juxta præſentem textum: quo caſu non præſcribuntur loca illa, quæ jam antea erant per converſionem acquiſita, ſed ſolum jus revocandi, aut repetendi ea, ut probatur ex præſenti textu, ibi: *Ulterius repetere non poterit*: & expreſſius *in l. libello 12. §. ſi quis ſervum, ff. de captivis*, ubi docetur, quod ſi ſervum captum ab hoſtibus quis redemerit, protinus ejus efficitur, ſed oblato ei pretio poteſt redhiberi; unde quæritur, an ſi creditor redemerit, exiſtimans vendentis eſſe, poſt legitimum poſſeſſionis tempus, uſucepiſſe videatur, ne amplius vero domino facultas ſit offerendi pretium ſervi. Et pro parte negativa facit, quod conſtitutio de redemptis loquens, redimentis ſervum fecit, & quod meum eſt, amplius meum fieri non poteſt. Pro parte affirmativa facit, quod prædicta conſtitutio non deteriorem, ſed meliorem redimentium facit conditionem; quare conſultus reſpondit, quaſi uſucapionem locum habere non ad acquirendum dominium, ſed ad excludendum jus offerendi, quod priori domino competebat: unde pari ratione licet Epiſcopus convertens populum in hæreſim lapſum ſecundum leges converſionis illum acquirat, proprius Epiſcopus jus repetendi habet per triennium, quo elapſo Epiſcopus convertens, non populum ipſum præſcribit; ſed jus repetendi illum, quod proprius Epiſcopus præſcriptione amiſit. Sed hæc interpretatio fere convenit cum ſecunda ſupra relata. Quare his omnibus omiſſis, vera petenda eſt ex præſentis canonis ſerie, & ipſius Concilii hiſtoria. Scire enim oportet, Patres in præſenti agere de ſchiſmate Donatiſtarum, eorumque hæreſi apud varias Africæ Provincias ingruente, & de populis ab ipſis occupatis, hæreſique infectis, circa quos varii fuerunt editi canones. Primo enim in Synodo Milevitana, quæ celebrata eſt Arcadio, & Honorio Aug. V. Coſſ. ſtatutum fuit, ut Epiſcopi qui Cathedræ ſuæ loca ad fidem Catholicam reducere neglexerint, admoneantur a Vicinis Epiſcopis proprii officii; quod ſi poſtea per ſex menſes ceſſarent, aut dejicerentur de gradu dignitatis, aut a populi fidelis communione arcerentur, can. 25. ipſius Concilii. Aliis vero Epiſcopis deinde licuit, ſi loca a propriis Epiſcopis neglecta ad fidem orthodoxam traducerent, eorum juriſdictionem continuo acquirere, niſi forte ſimulata deſidia populis ſuis ſe melius ita proſpexiſſe proprii Epiſcopi docerent, *can.* 24. qui extat apud Gratianum *in c. placuit, q.4.* Itaque ſemeſtre illud ad præſcriptionem non pertinet, ſed ut ex eo Epiſcopi ſegnities cognoſceretur; Diœceſis autem reſtitutæ juriſdictio citra temporis ſubſidium Epiſcopo convertenti ſtatim quærebatur. Verum Donatiſtarum peſtis, quæ ſenſim, & occulte adoleſcebat, palam poſtea plures Eccleſias occupavit: latis deinde Imperatorum legibus ſancitum fuit, ut converſa, & reſtituta loca pertinerent non ad eos Epiſcopos, quorum prædicatione reſtituta eſſent, ſed ad proprios, ſub quorum poteſtate, & ditione integræ diœceſes erant, quod ſacri Canones approbarunt, ita ut qui loca aliqua eo nomine poſtea cœpiſſent, reſtituere cogerentur, condictione propriis Epiſcopis conceſſa ex prædictis legibus, quæ leges unitatis dictæ ſunt. Totum hoc complectitur can. 66. in collect. Africanorum canonum, qui tranſcriptus eſt ex Conc. Carthag. 7. Milevitano poſteriore, „ his verbis: “ Necnon & illud ſuggeſtum, quod plebes ante legem Imperatorum de unitate latam, quicumque converterent Epiſcopi ad Catholicam fidem, ipſi eas obtinere „ debeant: verum a lege unitatis, & deinceps oporteat univerſas Eccleſias vindicare ſibi Epiſcopos Catholicos eorum „ locorum, ad quos loca ſub hæreticis pertinebant, vel converſorum ad Catholicam fidem, vel non converſorum, & „ diœceſis, & ſi qua forte ſunt inſtrumenta Eccleſiæ, vel „ ad ejus jus pertinentia; qui vero aliqua uſurpaverint, per „ legem uſurpata conventi reſtituant. „ Quod & circa Arianos a Patribus Hiſpaniæ in Conc. Tolet. 3. *can.* 9. cautum fuit his verbis: “ Decreto hujus Concilii hoc ſtatuitur, ut Eccleſiæ, quæ fuerunt in hæreſi Ariana, nunc autem ſunt „ Catholicæ, ad Epiſcopos cum ſuis rebus pertineant, ad „ quos parochiæ ipſæ, in quibus Eccleſiæ ipſæ fundatæ ſunt, „ pertinere videntur. „ Ex his itaque legibus Epiſcopis propriis datum eſt jus repoſcendi loca ſuæ diœceſis ab Epiſcopis iis, qui ea converſionis nomine tenebant, idque in univerſum. Poſteriores tamen canones jus hoc repoſcendi partim temperant, partim tempore circumſcribunt. Temperant in propoſita ſpecie, *can.* 84 in eadem Africana collectione, & 85. qui *can.* 84. Alexio Ariſteno, & Conciliis Carthaginenſibus eſt caput 17. Ejus canonis hæc verba ſunt: “ Item placuit, quoniam quidem ante aliquot annos in Eccleſia plenario Concilio ſtatutum eſt, ut quæcumque Eccleſiæ in diœceſi conſtitutæ ante leges de Donatiſtis latas Catholicæ factæ ſunt, ad eas Cathedras pertineant, per quarum Epiſcopos factum eſt ut Catholicæ unitati communicarent: poſt „ leges autem quæcumque communicaverint, illuc pertineant, „ quo pertinebant cum eſſent in parte Donati. Sed quia multæ controverſiæ poſtea inter Epiſcopos in diœceſibus ortæ „ ſunt, & oriuntur, quibus tunc minus videtur eſſe proſpectum, nunc iſti Concilio ſancto placuit, ut ubicumque Catholica fuit, & pars Donati, quæ ad diverſas Cathedras „ pertinebant, quocumque tempore illic unitas facta eſt, „ vel facta fuerit, ſive ante LEGES, ſive poſt LEGES, ad „ eam Cathedram pertineant, ad quam Catholica, quæ jam „ ibi fuerat, pertinebat. „ Sequitur can. 85. qui Ariſteno, & Zonaræ, & in Conciliis Græcis eſt caput 17. Concio, & apud Tilium caput 20. Theodoſio Balſam. caput 22. “ Ita „ ſane, quod ſi Epiſcopus ex Donatiſtis ad catholicam unitatem converſus eſt, æqualiter inter ſe dividant eas, quæ „ ſic fuerint inventæ, ubi ambæ partes fuerunt, ideſt alia „ loca ad illum, alia ad illum pertineant, ut ille dividat, „ qui amplius temporis in Epiſcopatu habet; & minor eligat. Quod ſi forte unus fuerit locus, ad eum pertineat, „ qui vicinior invenietur: quod ſi ambabus Cathedris æqualiter vicinus eſt, ad eum pertineat, quem plebs elegerit. „ Quod ſi forte antiqui Catholici ſuum voluerint, & illi „ ſuum, qui ex Donati parte converſi ſunt, plurimorum voluntas paucioribus præferatur. Si autem partes æquales ſunt, „ majoris temporis Epiſcopo deputetur. Si autem ita plurima loca inveniuntur, in quibus ambæ partes fuerunt, ut „ non poſſint æqualiter dividi, velut ſi impari numero fuerint, diſtributis eis locis, qui parem habent numerum, „ quicumque locus remanſerit, hoc in eo ſervetur, quod ſuperius dictum eſt, cum tractaretur de uno loco. „ Proximus eſt canon 36. qui jus hoc repetendi, quod propriis Epiſcopis leges unitatis tribuere, triennio circumſcribit: “ Item „ (*inquit*) placuit, ut etiam ſi quiſpiam poſt leges aliquem „ locum ad Catholicam unitatem converterit, ſi eum poſt „ triennium, nemine repetente, retinuit, ulterius ab eo non „ petatur. „ Ex quibus demum multa effecta ſunt, quæ noſtri interpretes ſecus accipiunt. Primo ſex menſes, qui in Concilio Milevitano propriis Epiſcopis permittuntur, induciarum nomine eis permitti, ut intra eos quaſi impune ceſſare poſſint. Secundo ſemeſtre illud ſpatium ad uſucapionem nemini prodeſſe. Tertio ex Concilio Milevitano Epiſcopum, qui poſt ſemeſtre illud alienam diœceſim ad fidem perduxerit, eam quærere confeſtim, veluti pro opere ſuæ mercedis, & ſine ullo præſcriptionis ſubſidio. Quarto leges unitatis propriis Epiſcopis tribuiſſe jus repoſcendi converſa loca; idque nullo temporis ſpatio concluſum. Quinto has unitatis leges eſſe, quarum mentio fit in archetypo, & primo canone, unde ſumptus eſt præſens textus. Sexto jus hoc repetitionis, quod unitatis legibus indultum eſt, ſacris poſtea canonibus partim temperari, partim concludi, & coerceri intra triennii fines.

5 Traditur ratio hujus textus.

Præſens Concili Africani conſtitutio magna nititur ratione, nam inter munia Epiſcopalia illud præcipuum eſt, inquirere, & extirpare hæreſes, & ab illis proprias oves removere. Concil. Carthagin. *canone* 124. *l. 5. C. de ſumma Trinitat.* docent late Fileſacus *in cap.1. de offic. ordin. §.5.* Fragoſo *de regimin. Chriſt. Reipubl. t. 1. l. 5. diſp. 13. §. 4. ex n. 41. & nos in c. 13. de hæreticis*. Proinde maxime negligens, & deſidiæ deditus debet judicari, ac ut talis puniri Epiſcopus, qui plebem ſuam hæreſi infectam non purgat, & de ejus converſione miniſterio prædicationis non curat. Unde recte in præſenti ſtatuunt Eccleſiæ Patres, ut ſi Epiſcopus per triennium negligens fuerit in converſione plebis, & alius eam ad fidem Catholicam reduxerit pleno jure populum illum acquirat, nec amplius priſtinus Prælatus illum repoſcens audiatur.

6 Exponitur can. 58. Apoſt.

Nec ſupra traditis obſtat textus *in canon. 58. Apoſt.* ibi: “ „ Epiſcopus, vel Presbyter, qui cleri, vel populi curam „ non egerit, & eos pietatem non docet, ſegregetur; & ſi „ in diſcordia perſeveret, deponatur. „ Ex quibus conſtat, Epiſcopum ob deſidiam, & ſegnitiem in regenda plebe deponi, non autem ea ita privari, ut alter Epiſcopus eam præſcriptione acquirere poſſit. Pro cujus canonis expoſitione, omiſſo Balſamone, cujus ſententiam refert, & refellit Germon. *l. 1. animadv. c. fin.* dicendus eſt, Apoſtolos in eo canone non agere de eo, qui ſegniter ſe geſſerit in converſione plebis propriæ in hæreſim lapſæ; ſed de eo, qui paſtorali cura neglecta muneri ſuo impar judicatur, qui juſte deponitur a dignitate, cum ineptus ad eam videatur, juxta illud Plauti *in Rudent. actu 4. ſcena 2.*

— *Nimis homo*
Nihil eſt, qui piger eſt: nimiſque indigenus, odi ego malo

Non ergo in d. can. agitur de plebe in hæreſim lapſa, ut in præſenti; ideoque eam lucrari per converſionem, aut prædicationem vicinis Epiſcopis non permittitur. Similiter in „ can. 15. Synodi 6. in illis verbis: „ Præterea renovamus „ etiam canonem, qui dicit, agreſtes, & quæ ſunt in regione, parochias inconcuſſas, & illabefactatas manere apud „ Epiſcopos, qui eas poſſident, & maxime ſi 30. annorum „ ſpatio eas ſine vi poſſidentes adminiſtraverint. Si autem „ intra 30. annos fuit, vel fuerit aliqua de his controverſia, licere iis, qui ſe injuria affectos dicunt, de eo actionem movere apud Synodum provinciæ. „ In eo enim canone non agitur de populis in hæreſim lapſis, & converſis; ſed de populis agreſtibus, nec diſciplina Eccleſiaſtica imbutis, de quibus idem cautum fuerat in can.17. Concilii Chalced. relato *in c. per ſingulas 16. q. 3.*

CAPUT II.

Gregorius a *Italicæ Patriciæ*.

SUſcepimus plenas dulcedine litteras veſtras, atque de incolumitate Excellentiæ veſtræ nos lætificavit auditus: circa quas tanta eſt noſtræ mentis ſinceritas, ut nihil in earum tranquillitate ſimultatis reconditum paternus nos ſuſpicari permittat affectus. Sed omnipotens Deus faciat, ut ſicut de vobis nos bona ſentimus, ita mens veſtra nobis bona reſpondeat, & dulcedinem, quam verbis impenditis, exhibeatis operibus. Nihil enim prodeſt glorioſiſſima ſanitas & plenitudo in ſuperficie corporis, ſi vulnus animæ latet intrinſecus. Atque illa magis cavenda eſt diſcordia, cui ſatellitium pax præbeat exterior. Illud vero, quod epiſtolis prædictis revocare in memoriam noſtram Excellentia veſtra ſtudioſe contendit, ſcriptum vobis ſciat, nihil cum *b* ſcandalo, nihil cum forali ſtrepitu *c* vobiſcum nos velle de cauſis pauperum definire. Hoc nos & ſcripſiſſe meminimus, & ſcimus noſmetipſos, juvante Domino, a cauſarum litigiis Eccleſiaſtica moderatione compeſcere, atque ſecundum Apoſtolicum illum ſenſum, rapinam bonorum noſtrorum cum gaudio ſuſtinere. Sed illud ſcire vos volumus, *d* taciturnitatem, atque patientiam noſtram futuris poſt me Pontificibus in rebus *e* pauperum præjudicium non facturam. Unde & nos explentes ſupra memoratam promiſſionem noſtram, jam de cauſis ipſis prævidimus reticendum, nec in his, in quibus minus agi benigne cognovimus, deſideramus nos per noſmetipſos immiſcere negotiis. Sed ne forte ex his conjiciatis, glorioſa filia, ea quæ ad concordiam pertinent, adhuc nos omnino renuere, filio noſtro Cypriano Diacono venienti ad Siciliæ partes induximus, ut ſi quid de his ſalubriter, & ſine peccato animæ veſtræ ordinare diſponitis, ex noſtra auctoritate vobiſcum definiat, ut nos non illis amplius vexemur negotiis, quorum cum manſuetudine eſt diſpenſandus effectus. Deus autem omnipotens, qui ea quæ omnino impoſſibilia ſunt ad poſſibilitatem bene novit inflectere, ille vobis aſpiret, & cauſas veſtras cum pacis intentione diſponere, & pro mercede animæ veſtræ, de rebus ei competentibus, hujus Eccleſiæ conſulere pauperibus.

NOTÆ.

a *Patricia.*) Ita legitur in 1. collectione, *ſub hoc tit. c.3.* & habemus verba hujus textus in epiſt. Gregorii *l. 2. indict. 11. epiſt. 58.* ex qua integram textus reſtitui. De Italica Patricia nonnulla notavi *in c. 8. de præſumpt.*

7 b *Scandalo.*) Hujus verbi occaſione repetentes plura de ſcandalo hic congerunt a deciſione prorſus aliena; de eo vitando plura tradunt Becanus *in opuſc. de ſcandalo, tr.27.* Vaſquez *t. 1. in 1. 2. q.102.* innumeri congeſti a Salgado *de retent. bullar. 1. part. c.4.* Prado *t.1. Theol. moral. c.25. q.10.* Suarez *de charit. diſp.10. ſect.1.* Conrad. Kling. *l.5. locor. commun. c.2.* D. Th. 2. 2. *q.43.* Illud tamen ex hoc textu docte deducit Illuſtr. Ramos *in memor. ad Alexand. VII. propoſ. ult. n.210.* non eſſe a Prælatis omittendam correctionem propter ſcandalum; ſiquidem in præſenti ſpecie Gregorius Magnus, etſi præmiſiſſet nihil eum acturum cum ſcandalo erga Patriciam Italicam, tamen ob uſucapionem rerum Eccleſiæ eam increpavit, quod & poſt Panormitanum *hic, num. 4.* deduxerunt Covarr. *in regul. peccatum, 2. part. in princ. n. 4. verſ. Sexto, & n.6. & in c. alma mater, part. 1. in initio, n.10.* Cardinalis Baronius *t.8. ad annum 593. n.45.* Joann. Driedonus *l. 4. de dogmat. Eccleſiæ, c.4. part.2. & de captivit. & redempt. generis humani, tr.4. ſecundi capitis, part. 7.*

8 c *Vobiſcum nos velle.*) Ex his verbis communiter DD. deducunt, Prælatum licite poſſe ob ſedandum ſcandalum omittere repetitionem rerum Eccleſiaſticarum, quæ ab aliis contra juſtitiam uſurpantur: quemadmodum etiam propter ſcandalum omittuntur, & privatur quis jure ſuo; *c. niſi, c. gravi, de renunc. c. cum teneamur, de præb. c. 1. in fine, de novi oper. nunc.* pluribus relatis docet Menoch. *de recup. remed. 1. n. 319.* Quæ ſententia impugnatur a nonnullis ex ſequentibus juris principiis. Primo quia Prælati Eccleſiarum tenentur ſub reatu noxalis culpæ repetere, & recuperare res Eccleſiæ ab aliis occupatas, *c. in canonibus, verſ. iniquum, 16. q.1. c.2. de donat.* docent in præſenti Panorm. *n.4.* Pariſius *n.6.* ſed propter vitandum ſcandalum omitti non debent, quæ omiſſa vergunt in diſpendium ſalutis æternæ, *d. c.2. verſ. cui ſacra, de novi oper. nunc. c. qui ſcandalizaverit, de R. J.* Igitur Prælati ob ſcandalum vitandum non debent omittere vindicationem rerum Eccleſiæ. Secundo, quia ſcandalum ortum ex eo, quod repetantur res Eccleſiarum injuſte ablatæ, non ex puſillorum fragilitate, aut ignorantia, ſed potius ex Phariſæorum malitia naſcitur, quod eſt contemnendum, juxta illud D. Matthæi *c.15. Sinite illos, quia cæci ſunt, & duces cæcorum.* Tertio quia D. Thomas Cantuar. ſanctiſſime egit de repetendis, & recuperandis rebus Eccleſiæ injuſte uſurpatis, etiam cum gravi ſcandalo Regis, & ſuorum, ut refertur *in c. ſicut, de homic.* & late tradit Richard. Smitheus *in vita ipſius Sancti*. Igitur quia Prælati etiam cum ſcandalo debent repetere res Eccleſiæ propriæ injuſte ab aliis occupatas. Quibus difficultatibus oppreſſi repetentes in præſenti, exiſtimarunt, textum hunc procedere ſpecialiter in R. Pontifice, quia cum ſit Dominus, & liberam habeat adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum, *c.2. de præbend. in 6. Clem.1. in fine, ut lit. pendent.* propter ſcandalum poterit omittere repetitionem earum, quæ contra juſtitiam uſurpantur. Sed hæc ſolutio etſi recte perpendatur, difficultatibus non ſatisfacit, quia licet penes R. Pontificem ſit ſuprema poteſtas rerum Eccleſiæ, non tamen ea eſt dominica, ut habent privati in ſuis rebus; ſed diſpenſatoria, ita ut feliciter bona ipſa diſpenſare valeat, *c. non liceat, 2. q. 2.* Div. Th. 2. 2. *q. 110. art.1. ad 7.* quare ea ſolutione omiſſa dicendum eſt, præſentem textum procedere quando R. Pontifex penſatis circumſtantiis rei ablatæ, temporis, perſonæ occupantis, tutius exiſtimavit omittere, aut differre repetitionem ipſarum rerum, quam cum ſcandalo recuperare, ut eveniebat in præſenti caſu. Nam cum Patricia magna dignitate polleret, ut notavi *in c.8. de præſumpt.* non poterat cogi ad reſtitutionem, niſi armis, & bello indicto: quod cum eſſet valde periculoſum, propter ſcandala, & damna, quæ ex bello proveniunt, potius expediebat reſtitutionem omittere, quam cum ſcandalo res ablatas repetere: argumento textus *in c. ſuſcepimus, verſ. Verum, de homicid.* Præſenſerunt Panor. *hic, n.4.* Covarr. *in regul. peccatum, 4. p. in princ. n.6.* Qua interpretatione retenta non obſtat prima difficultas ſupra expenſa, pro cujus ſolutione ſciendum eſt, quod quædam ita ſunt neceſſaria ad ſalutem æternam, ut ex nulla cauſa omitti, aut committi poſſint, ut adulterium, perjurium, mendacium, & alia ſimilia: alia vero ita ſunt de neceſſitate ſalutis, ut aliquando ex juſta cauſa omitti, vel committi poſſint, veluti ablati reſtitutio, delinquentis punitio, votum adimplere, & ſimilia. Priora propter ſcandalum omitti, aut committi non poſſunt, in quibus procedunt textus *in d. regula Qui ſcandalizaverit, d. c. 2. verſ. Cum ſcripturæ, de novi oper. nunc.* poſteriora vero propter ſcandalum puſillorum omitti, aut differri poſſunt, quo caſu procedit præſens textus; quia ſicut ex juſta cauſa bona Eccleſiarum in perpetuum alienari poſſunt, *c. ſine exceptione, 12. q. 2.* ita & eorum recuperatio ex cauſa ad tempus omitti valet. Nec obſtat, quod de ſcandalo puſillorum tantum vitando dicebamus; nam in præſenti caſu ultra ſcandalum aderant, & alia incommoda, quæ vitare potius decrevit Gregorius, quam cum magna jactura res ablatas repetere. Nec factum Div. Thomæ Cantuar. adverſatur; nam Sanctus agnovit, omiſſa pro tunc repetitione rerum Eccleſiæ, numquam poſſe commodiori tempore eas recuperare, & ideo decrevit eas ſtatim recuperare.

d *Taciturnitatem.*) Rationem reddit Gloſſa hic, quia delictum perſonæ non nocet Eccleſiæ, *c. cum venerabilis, verſ. Licet, de except.* & Prælatus conditionem Eccleſiæ deteriorem facere non poteſt, *c. 1. de in integrum reſt. c. fraternitati, de donat.* Sed tunc obſtat, quia ſi de præjudicio, quod ex præſcriptione ſequitur, agit Gregorius, taciturnitas Prælatorum nocet

nocet Eccleſiis, non ſolum inferioribus, verum & Romanæ, quarum res per legitimum tempus præſcribuntur, *c. 1. c. Sanctorum, c. de quarta*, cum aliis, *hoc tit.* quia licet delictum perſonæ, quod conſiſtit in committendo, non noceat Eccleſiæ; illud tamen quod in omittendo conſiſtit, præjudicium affert, juxta Gloſſam *in c. delictum, de R. J. l. 6. c. 2. de donat.* Cui difficultati, omiſſis ſolutionibus traditis a Gloſſa *hic*, dicendum eſt, Gregorium in prædictis verbis tantum referre id, quod Italica Patricia veroſimiliter ſcire debebat; nam cum S. Gregorius etiam ſcripſiſſet, ſe nihil cum ſcandalo, aut forali ſtrepitu de cauſis pauperum velle definire, ne exinde Patricia exiſtimaret in his rebus habere voluntatem, vel donationem Pontificis, ipſe eidem ſcripſit cum proteſtatione contrariæ voluntatis, ut agnoſcitur ex illis verbis, in quibus ait, taciturnitatem ſuam futuris Pontificibus non poſſe præjudicium afferre, nec bonam fidem, aut juſtam poſſidendi cauſam illi tribuere; non tamen negavit Gregorius præſcriptionem alias legitimam, concurrentibus ejus requiſitis admitti; & tunc taciturnitatem Prælati ſucceſſoribus nocere.

e *Pauperum.*) Ideſt Eccleſiæ, *c. quia juſta*, ibi: *Res Eccleſiæ patrimonia ſunt pauperum*, *c. ult.* ibi: *Quidquid clerici habent; pauperum eſt*, 16. *q. 1. c. 1. 24. diſt. c. quod autem*, 23. *q. 7. c. convenior*, 23. *q. 8. c. cum ſecundum, de preb.*

COMMENTARIUM.

4 Concluſio probatur. VArias ex hoc textu deducunt repetentes aſſertiones. Aliqui ita eam accipiunt. Taciturnitas Prælati non nocet Eccleſiæ, donec præſcriptio legitime ſit completa. Sed quam improprie, ex ſupra traditis facile patet. Alii ex hoc textu deducunt, præſcriptionem interrumpi ſola denunciatione, etiam extrajudicialiter facta. Ita Balboa *in præſenti*, *n. 22.* Sed potius litteræ textus & rubro magis conſonam exiſtimo eam, quam Doctores ita proponunt. " In rebus invaſis, ſeu uſurpatis, non currit præſcriptio. " Probant eam textus *in l. 4. §. ſi tu me vi 22. cum ſequent. l. non ſolum 33. §. 2. ff. de uſucapion. l. ult. ff. de vi bonor. raptor*, *l. ſi partem 5. C. pro emptore*, *l. 2. C. pro donato*, *l. ſi liberam* 10. *C. quod cum eo*, *l. 1. C. de ſervis fugitivis*, *l. ſi abducta* 10. *C. de furtis*, *§. furtivæ, Inſtit. de uſucap.* Conſonant de jure Regio lex 4. & 5. *titul.* 29. *partit.* 3. lex 5. *tit.* 15. *l. 4. recopil.* Illuſtrant ultra Inſtitutarios *in dict. §. furtivæ*, Donellus *l. 5. comment. c.* 24. ubi Oſualdus *littera D.* Cujacius *l.* 24. *obſerv. c.* 13. Connanus *l.* 23. *comment. c.* 15. *n.* 2. Pet. Gregorius *l.* 40. *ſyntagm. c.* 2. *n.* 2. Aſinius *in l. 1. C. de uſucap. pro empt. ex n.* 47. Carolus Mela *de uſucap.* 1. *part. c.* 5. Salmanticenſes noſtri Dom. Nicolaus de Caſtro *in relect. ad dict. §. furtivæ*, Dom. Franciſc. de Amaya *l. 2. obſerv. cap.* 7. & 8. Dom. Joſephus de Retes *in ſelect. ad leg. Attiniam, & Plaut. n.* 3.

5 Impugnatur tradita aſſertio. Sed pro dubitandi ratione ita in præſentem aſſertionem inſurgi poteſt: ſi non procederet uſucapio, ſeu præſcriptio rei uſurpatæ, omni tempore deſideraretur bona fides in uſucapiente, ſeu præſcribente: ſed tantum requiritur bona fides in initio. Igitur quia rei uſucaptæ, ſeu invaſæ procedit uſucapio. Major probatur: nam cum quis incidit in malam fidem, & domino rem ſuam non reſtituit, eam injuſte detinendo uſurpat, & invadit; ſiquidem ſciens rem alienam eſſe eam retinet. Minor nota eſt, ut dicemus *in c. vigilanti, hoc tit.* Igitur in rebus uſurpatis, & invaſis procedit præſcriptio. Augetur hæc difficultas *ex c. inter 6. 16. quæſt.* 4. in „ illis verbis: „ Ob hoc placuit inter alternas partes inſpectores viros mittendos ita, ut ſi in diœceſi poſſidentis ſitam baſilicam veteribus ſignis limes previſus monſtraverit, Eccleſiæ, cujus eſt jus retentionis, ſit æternum dominium: quod ſi & limes legitimus eamdem baſilicam non recludit, & tamen longi temporis probatur objecta præſcriptio, appellatio repetentis Epiſcopi non valebit, quia illi tricennalis objectio ſilentium imponit. „ Ex quibus liquet, rem uſurpatam, & injuſte detentam, triennali poſſeſſione acquiri poſſe. Igitur & in præſenti caſu Italica Patricia res uſurpatas præſcriptione acquirere poterat.

Sed hac dubitandi ratione minime obſtante, vera eſt præſens Gregorii deciſio, pro cujus ratione eruenda ſciendum 6 Traditur ratio decidendi. eſt, ex lege 12. Tabular. inhibitam eſſe uſucapionem rei furtivæ, his verbis: " Rei furtivæ æterna auctoritas eſto. " Ex Cicerone, & Aul. Gellio refert Jacob. Gothofredus *in quatuor fontibus, tabul.* 2. ideſt æternum manet dominium, ut dicitur *in d. c. inter*; & exponunt Revardus *ad leges 12. Tabul. c.* 17. Balduinus *ad eaſdem leges, c.* 11. Ant. Aug. *de legibus, in l. Attinia, n.* 14. Amaya *l. 2. obſerv. c. 7. nu.* 4. quam legem, aut tamquam uſu abolitam, ut voluit Anton. Auguſt. ubi proxime, vel ut verius eſt, addito novo capite de reverſa in poteſtatem domini, innovarunt lex Attinia, inhibens uſucapionem rei furtivæ; Plautia prohibens uſucapionem rei vi poſſeſſæ: quibus legibus prohibetur uſucapio rei quomodocumque uſurpatæ, dum circa eam furtum detur, aut violenta occupatio, videlicet furtum in re immobili: ſiquidem abolita Sabini ſententia, conſtat, rerum immobilium furtum non fieri, *l. fundo 37. §. 1. cum ſequent. ff. de uſucap. l. adverſus 4. C. de R. J. quod autem, Inſtit. de uſucap.* & earum uſucapio adeo prohibetur, ut nec a tertio, aut ulteriore poſſeſſore poſſit res uſucapi, quod jure noſtro canonico facilius procedit, cum non ſolum vitio reali, veluti furti, verum & cum vitio perſonali, videlicet malæ fidei, in ipſo præſcribente, etiamſi mala fides non ſuperveniat, præſcriptio inhibeatur, *c. vigilanti, & fin. hoc tit.* & merito, nam cum uſucapio introducta ſit, ne rerum dominia in incerto ſint, & homines negligentes non ſint in perquirendis propriis rebus, *l. 1. ff. de uſucap.* & in re invaſa, & uſurpata, neutra ex his rationibus dari poſſit, recte docetur, in hujuſmodi rebus nec uſurpationem, nec præſcriptionem procedere. Proſequuntur Connanus *l. 3. comment. c. 15. n.* 1. Aſin. *in d. l. 1. n.* 48. Mela *d. c. 5. circa finem*, Dom. Joſephus de Retes, *ubi ſupra, n.* 8.

Nec obſtat dubitandi ratio ſupra expenſa; nam licet jure 7 Diſſolvitur dubitandi ratio. civili tantum bona fides in initio, quoad uſucapionem deſideraretur, non tamen ob malam fidem ſupervenientem res uſucapienda afficiebatur vitio furtivitatis; ſiquidem quoad furtum committendum deerat animus furandi, & contrectatio; unde recte procedebat uſucapio, ut latius dicemus *in c. fin. hoc tit.* Nec augmentum deductum *ex d. c. inter*, obſtat; nam textus ille procedit, dum omnia requiſita præſcriptionis concurrunt, videlicet bona fides, juſtus titulus, & legitimum tempus, non vero quoties res ipſa vitio reali affecta eſt, videlicet furtivitatis, aut violentæ poſſeſſionis. Quomodo etiam accipiendi ſunt textus *in c. placuit, c. Præſulum, c. quicumque*, 16. *q.* 3. & alii congeſti ab Antonio Auguſtino *in epitom. jur. l. 16. tit.* 38. Præſenti aſſertioni, quæ ſæpe ſæpius pro roſtris diſputanda proponitur, opponi ſolent textus *in l. ſi extraneus 44. ff. de donatione inter, leg. ſi id quod, ff. pro derelicto, leg. Proculus 67. ff. de jure dot. leg. mandatum 57. ff. mandati*: quorum, & aliorum veram interpretationem nuper edidit docte, ut ſolet, Dom. Joſephus de Retes *in dictis ſelect. ad leg. Attiniam, & Plautiam*: cujus opera cum præ manibus habeantur, ideo expendere, atque interpretari in præſenti omiſi.

CAPUT III.

a Idem.

SAnctorum Patrum b ſanctiones, & humanæ leges irrefragabiliter ſtatuentes confirmaverunt, & nos in præſenti Concilio, cum omnibus qui adſunt nobiſcum, irrefragabiliter confirmamus, ut de omnibus poſſeſſionibus ad ſingulas provincias noſtrorum fratrum pertinentibus, a quibus xxx. annis poſſeſſæ ſunt, abſque ſynodali proclamatione, quiete, & ſincere perpetuo detineantur, nullaque vox audiendi alicui adverſario concedatur. Si vero aliquis præſumpte temerario ore exorbitaverit, quia contra Sanctorum Patrum ſtatuta agit, ſit vinculis indiſſolubiliter innodatus, & penitus extorris ab Eccleſia, & communione fratrum alienus.

NOTÆ.

1 a IDem.) Ita etiam legitur in 1. collectione, *ſub hoc tit. c.* 4. in regeſtro vero, imo nec inter opera ipſius Gregorii præſens textus reperitur. Poſt Concilium Lateran. *p. 38. tit. de preſcript. c.* 7. referuntur verba hujus textus, ſed abſque auctore. Anton. Auguſtinus *in notis ad hunc textum*, exiſtimavit legendum eſſe, *Gregorius in Synodo*, ſed nullo ductus fundamento. Quare credo potius legendum eſſe *Gelaſius I.* quod facilius ſuadebitur, ſi verba hujus textus, prout ea tranſcribo ex d. 1. collectione, conferantur cum capite *facultate*, 13. *q. 2. c. Præſulum*, 16. *q.* 3. ubi etiam citantur leges humanæ, quæ tempore Gelaſii præſcriptionem tricennalem admittebant. Accedit, nam ut ex hoc textu conſtat, præſentem conſtitutionem edidit Gelaſius in Synodo a ſe congregata, quam ipſum Romæ celebraſſe refertur *t. 3. Concil. Binii*, & ejus acta e Græco in Latinum verſa edidit Dionyſius Exiguus, & referunt ipſius Præſulis vitæ Scriptores Coriolanus, Ciaconius, & alii congeſti a Ludovico a S. Carolo *in biblioth. Pontif. t. 1. in Gelaſio I.* igitur hæc conſtitutio referenda eſt ad an. 493. cum floruit prædictus Gelaſius: quod ſumme notandum eſt pro hujus textus interpretatione, ut infra dicemus.

b *Sanctiones.*) Infra exponendæ pro illuſtratione concluſionis.

COMMENTARIUM.

JUxta litteram hujus textus talis deducitur communiter di- 2 Concluſio probatur. ſputanda aſſertio: " Poſt tricennalem poſſeſſionem loca unius diœceſis præſcribuntur ab alio Prælato ipſius provinciæ. *Probant textus* in c. per ſingulas *ibi*: Præſertim ſi 30. annis vi poſſidentes adminiſtrant. *Et c. placuit* 8. *ibi*: Per annos 30. poſſeſſæ ſunt. *Et c. quicumque, ibi*: Per 30. annos ſine aliqua interpolatione poſſederit, *Et c. ſicut, ibi*: Diœceſim alienam tricennalis poſſeſſio tollit 16. *quæſt.* 3. „ *c. facultates*; *ibi*: Tricennalis lex concluſit, 13. *quæſt.* 2. „ *Concil. Emerit.* can. 8. *ibi*: Sed quia antiquorum ſunt inſtituta, ut ſi in una provincia quiſque Epiſcopus de alterius diœceſi partem aliquam per 30. annos poſſederit, quietus teneat. „ Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa, & Garanna *in præſenti*, Cujacius, & Balboa *hic*: Mancinus *in controv. juris, diſſert.* 19. Ant. Auguſt. *in epitom. juris, l. 15. tit.* 38.

3 Impugnatur concluſio. Sed in præſentem aſſertionem ita pro dubitandi ratione inſurgo: Res immobiles Eccleſiarum non minus quam per 40. annos præſcriptione acquiri poſſunt, novella *de Eccleſiaſticis titulis, §. pro temporibus: authent. quas actiones, C. de ſacroſ. Eccleſ. c. de quarta, c. ad aures, c. illud, c. judicante, hoc tit.* Ergo non 30. annorum ſpatio præſcribi valent, ut in præſenti docetur. Accedit, nam Gelaſius ait, hujuſmodi præſcriptioni tempus aſſignare juxta leges humanas: ſed leges humanæ, tam tempore Digeſtorum, quam Codicis, præſcriptionem 10. vel 20. annorum agnoverunt, *l. indebiti 15. §. 1. ff. de condiction. indeb. l. dolia 76. §. ult. ff. de contrahend. empt. l. qui alienam 54. ff. de evict. l. 1. & per totum C. de preſcription. longi temporis decem, vel viginti*: & in Codice Theod. *l. 4. tit.* 13. Igitur nec juxta humanas leges præſcriptio longioris temporis, quam decem, vel viginti annorum obſervatur.

Qua difficultate ita fulcita non obſtante, defenſanda eſt 4 Præſcriptionis variæ acceptiones. præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, verbum præſcribere variis modis in utroque jure accipi, ut conſtat ex diverſis ejus acceptionibus a Donello *l. 5. comment. c. 4. littera N, & l. 22. comment. c.* 1. ubi Oſualdus *litt. M*, Revardo *l. 1. de præjud. c.* 8. Connano *l. 3. comment. c.* 11. Baldo *de preſcript. c.* 2. Pratejo, & Calvino *verbo Præſcriptio*, Cujacio, Hothoman. & Vultejo *in tr. de uſuc.* Aliquando accipitur pro imperare, conſtituere, ſeu præcipere, juxta Ciceronem *l. 3. de offic. c.* 1. ibi: *Sed hoc natura præſcripſit*. Quo modo accipitur *in l. maritus 21. C. de procurat.* in illis verbis: *Quod procuratio emiſſa præſcripſit*, ideſt imperavit, ſeu conſtituit: apud D. Ambroſium *in c. ſingulis 19. 86. diſtinct.* ibi: „ Publicanus ne ultra præſcriptum exigat, ideſt ultra determinatum decretum, vel aſſignatum. „ Notarunt ultra proxime congeſtos Myſing. *ad rubr. Inſtit. de except. n.* 6. Covar. *in regula poſſeſſor*, 1. *parte, in princ.* Molina *de inſtit. diſp. 60. tr.* 2. etiam aliquando accipitur pro terminum aſſignare, ſeu limitare, unde temporis præſcriptio, quaſi præfinitio, ſeu temporis præfixio dicitur. Quare omnes termini dici poſſunt præſcriptiones. Balbus *ſupra, q. 2. n.* 1. Oldendorpius *eodem tr.* Cujacius *in tr. de diverſ. tempor. preſcript.* Juxta quam ſignificationem exaudiuntur textus *in l. Aurelius 28. §. cautum, ff. de liber. legat. l. intra, §. quadriennii 11. ff. de diverſ. & tempor. l. quinquaginta 6. l. tutores 18. C. de excuſat. tut. cap. nulla, de conceſſ. prebend.* junctis Balboa, & Connano *ubi proxime*, Barboſa *in præſenti rubric. n.* 4. Frequentius tamen, & uſitatius præſcriptio accipitur pro exceptione, ita ut nihil interſit præſcriptionem dicas, an exceptionem; atque ita verbum excipere accipimus pro præſcribere *in l. final. ff. de ſuſpect. tut. leg. 24. §. Cajus, ff. de legat. 2. l. 1. §. ſi quis ipſius, ff. quando appelland. l. unic. C. de uſuc. transform. l. ſi quis emptionis 8. C. de preſcr. trigint. l. ſuper 11. C. de longi temp. l. an vitium 5. §. 1. ff. de diverſ. & tempor. l. 1. ff. ſi libertus, l. final. in fine, C. de annal. except.* Et præſcriptionem pro exceptione ſummunt Interpretes *in l. qui cum 9. ff. de tranſact. l. 11. l. Paulus 33. ff. de except. l. ſi maritus 25. §. præſcriptiones, ff. ad l. Juliam, de adulter. l. 5. ff. de accuſation. l. 2. C. de precib. l. ita, C. de procurat. l. contra, C. de inoffic. l. fideicommiſſum 50. §. ſed etſi, ff. de judic. l. cum pater 77. §. pater qui 30. ff. de legat. 2. l. nihil 12. §. ſi cum filius, ff. de inoffic. l. expreſſim 19. de appel. l. ſæpe 36. §. cur autem, ff. de re judic. l. matris 3. C. ad Tertyl. l. peremptoria 2. C. ſentent. reſcind. l. 1. verſ. ſin autem, C. de raptu virgin. l. 3. §. nam ſi, ff. de prævaric. l. 1. §. ſi quos 10. ff. quando appel.* Quo modo exceptio, quæ dicitur rei judicatæ *in rubric. ff. de except. rei judic.* ſæpius appellatur præſcriptio rei judicatæ a Papiniano *in l. judicata 29. ff. de except. rei jud.* & quæ dicitur doli exceptio *in rubr. de doli recept.* dicitur præſcriptio doli *in l. 5. §. ſi debitor 91. ff. de ſolution.* & defenſio longi temporis, quæ dicitur præſcriptio longi temporis *in rubr. C. de preſcr. longi tempor.* dicitur exceptio longi temporis poſſeſſionis *in l. creditor 12. ff. de diverſ. & tempor.* Item quæ a Juſtiniano dicitur exceptio longi temporis *in l. penult. C. de longi tempor. preſcr.* ab Ulpiano dicitur exceptio longæ poſſeſſionis, *l. an vitium, §. 1. ff. de diverſ. & tempor.* a Marciano dicitur exceptio temporis, *l. 1. ff. ſi libertus ingenuus*; atque hac ſignificatione Tertull. tractationem de iis, quæ opponi poſſunt ſectariis aliquid circa Fidem innovantibus, inſcripſit. " De præſcriptionibus adverſus Hæreticos, " ut ubi Pamelius ex Quinto obſervat: notarunt Connanus *lib. 3. commentar. c.* 5. Alciatus *in leg. quinque pedum, C. de preſcript. long.* Covarr. *in dict. regul. poſſeſſor*, 1. *part. §. unic. n.* 4. Balduinus *ad leg. 12. Tabullar. c.* 10. Donell. *l. 22. c.* 1. Germonius *l. 3. de ſacroſanct. immunit. c.* 18. Nec recte Connanus *dict. l. 3. c.* 11. exiſtimat, eamdem quidem eſſe vim, ſignificationemque exceptionis, & præſcriptionis: vocem tamen exceptionis putat generalius patere, præſcriptionis vero pertinere ad eam exceptionis ſpeciem, quæ auctoritatem habet ex curſu temporis lege definiti. Quam ſententiam veram non eſſe, conſtat ex juribus ſupra expenſis, in quibus præſcriptio non tantum ſumitur pro exceptione, quæ ex tempore naſcitur; ſed etiam pro aliis, licet frequentius præſcriptio pro ea exceptione, quæ ex temporis curſu provenit, ponatur, *l. Patronum 5. ff. ſi libertus ingenuus, l. dolia 76. §. 1. ff. de contrah. emptione, l. 3. l. 5. §. ult. l. 13. ff. de diverſ. & temp.* Petrus Gregorius *l. 11. ſyntagm. c. 17. num* 2. Parladorius *l. 1. rerum quotid. cap. 1. §.* 1. nec verius exiſtimarunt alii congeſti a Vveſembech. *ad tit. ff. de exception. n.* 4. præſcriptionem pro exceptionibus tantum dilatoriis eſſe accipiendam, quorum ſententia totidem juris teſtibus convincitur, quot hoc vocabulum, *exceptionibus peremptoriis*, tribuitur: idemque apparet *ex l. præſcriptionem*, juncta *l. final. C. de exemption.* Nec etiam recte Gothofredus *in notis ad rubricam ff. de exception.* exiſtimat, exceptionis nomine intelligi exceptiones nominatas, præſcriptionis nomen intelligi exceptiones in factum, quæ certum nomen non habent: & utitur argumento textus *in l. 14. & l. penult. ff. de exception.* nam in eadem lege penultima Juriſconſulto opus non fuiſſet, ſi præſcriptio eſſet exceptio in factum, illud diſerte deſcriptioni adjicere, *in factum*; quia hoc ipſum intelligeretur expreſſa voce præſcriptionis.

De origine hujus verbi, vel ratione hujus ſignificationis 5 Ratio hujus acceptionis. parum liquere teſtatur Donellus *dict. l. 22. c.* 1. Aliqui exiſtimarunt, ideo præſcriptionis verbo exceptionem ſignificari, quia quemadmodum olim actiones ſub certis, & ſolemnibus formulis præſcriptæ, & compoſitæ erant, *l. 2. §. deinde, ff. de orig. juris*, quas actor ſub præſcripta formula impetraverat, *l. 2. C. de formulis ſublatis, l. 2. C. de execut. rei judic.* docent Duarenus *in l. juris 7. §. ideo, ff. de pact.* Briſſonius *lib. 4. ſelect. c.* 20. Revardus *de auctor. prud. c.* 2. Alciatus *l. 4. diſput. c.* 23. Faber *l. 4. conject. c.* 7. & probavi *in dict. cap. 2. de libell. oblat.* ita etiam ab eodem Prætore exceptiones ſub certa, & præſcripta formula impetrabantur, *l. 1. §. ſunt qui putent, ff. ne quid in loco*: textus ita accipiendus *in l. ſi contendat 28. ff. de fidejuſſ.* juncto Cujacio *lib. 25. Pauli ad edict. in eodem textu*. Docent Briſſonius *lib. 5. de formulis pagin.* 449. Petrus Faber *in l. cum pater 154. ff. de R. J.* Polletus *lib. 5. hiſtor. fori Rom. cap.* 4. notavi ſupra *in capit.* 4. Ideoque putant exceptiones præſcriptiones dictas fuiſſe. Aliter Eguinarius Varo *in princ. Inſtitut. de exception.* Donellus *dict. cap. 1. & ad titul. C. de exception. numer.* 15. docuerunt juxta ſtrictam, & propriam ſignificationem verbi *præſcribere*, exceptiones dici præſcriptiones, quia præſcribere idem eſt ac antea ſcribere: unde metaphorice ſumitur pro *dictare*, & alicui præſcribere. Quare cum reus, qui excipit, dictet, & præſcribat actori, quomodo intentionem concipere, aut actionem ſibi dari poſtulare debuiſſet, recte dicitur præſcribere ei qui petit, ut *in l. ſed & ſi 54. §. ſi ea res, ff. de judic. l. quia poterat 4. ff. ad Trebell. leg. Titia 34. §. Cajus, ff. de legat.* 2. & præſcribere accuſatori *in l. 3. ff. de prævaric.* Sed his ſententiis omiſſis, placet ſententia Vulteji *lib. 2. de judic. cap. 7. num.* 31. qui docet, exceptiones appellatas eſſe præſcriptiones eadem ratione, qua actiones in factum dicuntur actiones præſcriptis verbis; quod videlicet præſcribant adverſario, quod ei fuerat faciendum, vel omittendum in actione inſtituenda, ſive concerneret illud actionem ipſam, ſive extra actionem quid aliud, forte perſonas judicis, vel litigantium, aut quid ſimile; non ſecus atque in actione præſcriptis verbis, ab actore res in judicium deducitur prout geſta eſt, ideſt actio ex ipſo facto, ſive re geſta præſcribitur, juxta legem *cum mota, C. de tranſact.* Unde quia reus exceptionem ſcribendo præſcribit formam actori, ut dicitur *in l. 2. §. ſi res, de judiciis*, & præſcribit appellanti *in l. 1. §. ſi quis ipſius, ff. quando appel.* ideo exceptiones dictæ fuerunt præſcriptiones.

Tandem præſcriptio accipitur pro acquiſitione dominii, 6 Præſcriptio accipitur pro dominii acquiſitione. quæ fit per poſſeſſionem, *cap. ult. hoc tit. regul. ſine poſſeſſione, de R. J. lib.* 6. & præſcribere pro acquirere per poſſeſſionem, ſeu uſucapere ponitur *in c. cauſam quæ, hoc tit.* ſive pro modo acquiſitionis, qui ex longa præſcriptione procedit, ut *in l. ei a quo 21. l. finali, ff. de uſucap. l. ſi duo 23. §. 1. ff. de jurejurand. l. 3. de requir. reis, l. qui alienam 54. ff. de evict. l. quinque pedum, C. finium regund.* Qua in acceptione paſſim ſumitur ab Eccleſiæ Patribus congeſtis a Gratiano *in 16. q.* 3. & in præſenti titulo, tam in hac collectione, quam *lib. 6. Decretalium*: & licet Cepol. *tract. de uſucap. fol. 406. nu.* 2. & alii congeſti a Covarruv. ubi ſupra, *num. ult.* exiſtimaverint, uſucapionis appellatione impropriiſſime venire acquiſitionem, ſeu præſcriptionem, hancque acceptionem Juriſconſultis, & Imperatoribus incognitam eſſe; tamen aperte falluntur, cum Javolenus *in l. ei a quo 22. ff. de uſucap.* & Paulus *lib. 5. ſentent. tit.* 2. uſucapionem præſcriptionem appellaverint: & Imperatores *in l. ultim. §. ſi autem, C. communia, de uſucap. l. quemadmodum, in fine, C. de agricolis, lib.* 11. & alibi, longi temporis præſcriptionem pro acquiſitione dominii accipiunt: & juxta hanc ſignificationem ſuſtineri valet ſententia Gilkenii *de preſcript. part. 1. c. 2. n.* 22. aſſerentis præſcriptionem non ſemper exceptionem, ſed & acquiſitionem, ac cauſam producentem illam deſignare. Quod probat *ex l. 1. C. de ſervis fugit. l. qui alienam 54. ff. de evict. l. ult. ff. de uſucap.* Gilkenium ſequitur Oſuald. *l. 5. commentar. Donell. c. 4. littera M, & l. 22. c. 1. littera N.*

Unde velut manuducitur ad examen illius celebris quæ- 7 Præſcriptio an pariat dominium. ſtionis, utrum videlicet præſcriptio pariat dominium, ſicut uſucapio: an vero tantum exceptionem? Et dominium non præſtare, ſed exceptionem tantum adverſus dominum rem perſequentem, tenuerunt Oldendrop. *de uſucap.* Mela *eodem tract. part. 3. cap.* 3. Vaſquez *in c. ſi diligenti, part. 1. per totam*,

totam, hoc tit. moti ſequentibus fundamentis. Primo, quia præſcriptio dicitur exceptio, & præſcribere idem eſt ac excipere, ut proxime probavi. Igitur quia præſcriptio legitime completa, non dominium, ſed tantum prærogativam temporis præbet, ut dicitur in l. apparet 5. §. ſi quis 3. ff. de itinere, actuque, l. 2. C. de præſcript. 30. Inde totum exercitium temporalis præſcriptionis in exceptione poſitum eſſe, conſtat ex leg. 1. & 2. C. de quibus cauſis ceſſet longi temp. l. cum heres, ff. de diverſ. & tempor. l. nec tantum, l. præſcriptione, l. final. C. quibus non objicitur, l. ſi fundum, ff. de fundo dotali, l. matris, C. ad Tertyl. l. indebiti, §. ſed etſi, ff. de condict. indeb. junctis traditis a Parladorio dict. c. 1. §. 1. num. 10. Donellus lib. 5. commentar. c. 5. ubi Oſualdus litter. G. Secundo ex l. ſi quis emptioni 8. C. de præſcript. 30. vel 40. ubi apparet Juſtinianum noviter ſtatuiſſe, ut utilis actio ex præſcriptione detur. Igitur quia antea tantum exceptio dabatur. Et nota cum Donello lib. 5. commentar. cap. 4. textum illum anteriorem eſſe conſtitutione legis unicæ, C. de uſucap. transform. in quo lapſus fuit Parlador. dict. c. 1. §. 10. n. 6. & præſcriptionem non dominium, ſed ſecuritatem præſtare, conſtat ex l. 7. C. de præſcript. longi tempor. l. 15. §. ultim. ff. de condict. indeb. & probat Galbanus de uſufruct. c. 11. Tertio ex l. 1. & toto titul. C. de quadrien. præſcr. ubi quadriennii præſcriptio Fiſco competens tantum exceptionem illi præbet. Igitur ſimiliter & aliæ præſcriptiones exceptionem tantum pariunt, quia longius tempus non mutat ſpeciem præſcriptionis. Quarto quia præſcriptio, quæ procedit in rebus incorporalibus, non poteſt tribuere dominium: Ergo nec illa quæ procedit in corporalibus. In corporalibus enim non niſi improprie dominium datur, juxta quandam ſimilitudinem veri, juxta quam procedunt textus in l. acquiruntur, §. de his, l. quod fructuarius 7. ff. de acquir. domin. l. his verbis, in princ. ff. de hered. inſtit. l. 3. ff. ſi uſusfruct. petat. l. ſemper, §. hoc interdicto, ff. quod vi aut clam, l. ſi tibi, ff. quibus mod. uſusfruct. docent P. Gregorius l. 1. ſyntag. cap. 12. Cæpol. de ſervit. c. 21. n. 2. Donellus l. 4. comment. c. 8. Quinto moventur ex l. 13. §. 1. ff. de jurejur. ubi docetur ex præſcriptione, accedente juramento, utilem tantum actionem dari. Igitur quia præſcriptio non parit dominium, ut explicat Faber l. 19. conject. c. 10. relatus, & ſequutus a Hieronymo Aſin. in rubric. de uſucap. pro emptore, n. 22.

8 Refertur contraria ſententia. Secunda ſententia eſt illorum, qui docent, nulla facta diſtinctione inter jus novum Imperatoris Juſtiniani, ſtatutum in l. unic. C. de uſuc. transform. l. ſi quis 8. C. de præſcr. 30. vel 40. & jus antiquum, præſcriptionem dominium verum, & directum præſtare: ita defendunt Borcolt. in princ. Inſtit. de uſucap. n. 10. Corraſius in rubric. de ſervit. n. 13. pluribus relatis Menchaca lib. 2. illuſtr. c. 54. n. 1. Covar. in regul. poſſeſſor, 3. part. n. 2. Gilkenius de præſcript. 1. p. c. 3. num. 26. qui expendunt pro hac ſententia textum in l. ſi quis emptionis 8. in illis verbis; Actionem ad vindicandam rem habere ſancimus, C. de præſcript. trigint. ubi actio in rem præſcribenti datur, quæ non niſi domino competit, l. in rem 23. ff. de R. V. & eam juxta jus antiquum competere expreſſit Juſtinianus in illis verbis: "Hoc enim & veteres, ſi quis eas „ recte inſpexerit, ſanxerunt. „ Licet ea Triboniani eſſe exiſtimet Faber l. 19. conject. c. 12. Secundo expendunt legem qui alienam 54. ff. de evict. ubi dicitur, quod qui alienam rem vendidit, non tenetur emptori de evictione poſt longi temporis præſcriptionem, vel uſucapionem. Ergo quia idem dominium præſtat uſucapio, ac præſcriptio; disjunctiva enim, vel, non niſi inter æqualia ponitur, l. 2. ff. de rebus dubiis: quo modo etiam expendunt textum in l. 1. C. de ſervis fugit. Adducunt etiam textum in §. ex his, Inſtit. per quas perſonas, ubi dicitur, acquiri nobis per procuratorem mediante uſucapione, vel præſcriptione: ergo quia æqualiter per uſucapionem, ac per præſcriptionem dominium quæritur: unde in l. a quo 21. ff. de uſucap. quæ a Conſulto in principio dicitur uſucapio, in calce textus appellatur præſcriptio. Deinde quia in l. ſi finita 15. §. Julianus 16. & §. non autem 21. §. ſed in vectigali, cum ſeq. l. Prætor, l. is qui 12. l. cum poſtulaſſem 44. §. damni, ff. de damno infecto l. 3. §. ultim. ff. de acquir. poſſeſſ. aſſeritur, miſſum ex ſecundo decreto longa poſſeſſione dominium fieri: & aperte ea ſententia docetur in auth. niſi triennali, C. de bonis matern. ibi: " „ Niſi triennali tempus tranſeat, quo poſſeſſor dominus fit. „ Et longa poſſeſſione dominium quæri, docetur in l. acquiritur 10. §. non ſolum, ff. de acquir. domin. leg. ſequitur 4. §. ſitu 22. l. nunquam 26. ff. de uſucap. l. fin. C. de edict. D. Hadriani.

9 Media ſententia traditur. Tertia ſententia eſt eorum, qui affirmarunt, ex præſcriptione tantum dominium utile dari, non vero directum. Ita cenſuerunt Gloſſa in authent. niſi tricennali, C. de bonis matern. Baldus de præſcr. c. 22. q. 2. & alii, quos referunt Gilkenius de præſcript. part. 1. cap. 3. n. 9. Covar. in dict. regul. poſſeſſor, 3. part. in princ. n. 2. Menchaca dict. c. 54. qui eam probant primo ex eo, quod ex longa poſſeſſione non niſi utilis actio naſcitur, l. 1. §. fin. ff. de aqua pluv. l. ſi quis diuturno 10. ff. ſi ſervitus vindic. l. ſi duo 13. §. 1. ff. de jurejur. ergo quia tantum dominium utile ex præſcriptione provenit. Quarta ſententia diſtinguit inter ſpecies præſcriptionum, aſſeritque præſcriptionem triginta, vel quadraginta annorum dominium præſtare, non vero præſcriptionem 10. vel 20. cujus fundamenta congerunt Covar. ubi ſupra, n. 5. Pinellus in authent. niſi tricennale, n. 36. & 37. Corraſius l. 6. miſcel. c. 6. Neoterici etiam juris Interpretes non conſentiunt. Gilkenius d. c. 1. de præſcript. c. 3. n. 11. & 42. aſſerit tempore Jureconſultorum, & ante conſtitutionem Juſtiniani in l. unic. C. de uſucap. tranſcr. tranſf. præſcriptionem longi temporis, ideſt 10. vel 20. annorum, ſolum produxiſſe exceptionem, & ex benigniori interpretatione, vel beneficio Prætoris etiam actionem. Poſt Juſtiniani vero conſtitutionem dominium præſtare. Vultejus in rubric. Inſtit. de uſucap. a n. 6. & l. 1. Juriſprud. c. 71. quem ſequitur Oſuald. lib. 5. commentar. c. 4. litter. I. aſſerit, ante Juſtinianum præſcriptionem tantum exceptionem præſtaſſe; poſt Juſtinianum vero in d. l. unic. præſcriptionem genus eſſe, comprehendens uſucapionem rerum corporalium, tamquam unam ſpeciem, & præſcriptionem rerum corporalium tamquam aliam, ita ut verum ſit, omnem uſucapionem eſſe præſcriptionem, non e contra. Donell. l. 5. comment. c. 4. docet, ante Juſtinianum omnem præſcriptionem exceptionem præbuiſſe, poſt illum vero in dict. leg. unic. præſcriptionem; omnem eſſe uſucapionem, & in illam transformatam fuiſſe, & e contra, ut ex eo jure una ſit tantum acquiſitio, cum antea duplex eſſet, uſucapio videlicet, & præſcriptio. Donellum ſequuntur Faber l. 19. conject. c. 20. Aſin. in dict. rubric. n. 23. Connanus l. 3. comment. c. 14. n. 18. Zangerus de except. part. 3. c. 8. n. 5. Zoeſius ad decret. in præſenti rubric. n. 1.

Sed neutra ex his ſententiis mihi placet. Ut autem veram, ni fallor, referam, omitto præſcriptionem actionum, tam bonæ fidei, quam ſtricti juris, de qua & ejus tempore ex vetere, & novo jure agemus in dict. c. vigilanti; tantum enim in præſenti differemus de præſcriptione rerum; & licet ex legibus 12. Tabular. tantum uſucapio, non vero præſcriptio introducta eſſet, nec leges ipſæ de præſcriptione, ſicut de uſucapione ſtatuerint, ut notarunt Balduin. ad eaſdem leges, c. 20. Galbanus de uſufruct. c. 11. pag. 87. & c. 12. pag. 101. conſtitutionibus tamen Imperatorum præſcriptio: ſeu longi temporis poſſeſſio introducta fuit, l. dolia 76. §. ultimo, ff. de contrah. empt. ibi: Tempora conſtitutionibus introducta, l. reſcriptis 9. ff. de diverſ. & tempor. ubi inquit Marcianus: " „ Reſcriptis quibuſdam Magni Antonini cavetur, ut in re- „ bus mobilibus locus ſit præſcriptioni. „ Probant Concius l. 1. diſp. c. 12. Galbanus ubi ſupra, Mela dict. c. 2. de præſcript. num. 6. Hæc autem præſcriptio rerum inducta fuit, ut res quæ uſucapi directe non poterant, poſſent uſucapi oblique, ſive per indirectum, ut notarunt, & exemplis illuſtrarunt Galbanus dict. c. 11. ex n. 6. & c. 12. n. 5. Revard. in Tribon. in princ. & ita licet quæ lege ſpeciali uſucapi prohibebantur, ut res furtivæ, lege Attinia, vi poſſeſſæ, Plautia, præſcribi non poſſint, l. 1. C. de ſerv. fugit. l. ult. §. ſin autem, C. communia, de legat. l. ſive 9. §. hac actio, l. 12. §. ſi res, ff. de publ. ſic intelligendæ cum Oſualdo l. 20. Donelli, c. 8. litter. M, Pinello l. 1. ſelect. c. 12. nu. 1. tamen res, quarum generaliter inhibebatur uſucapio, præſcribi poterant, veluti omnes res, in quibus dominium quiritarium non dabatur. Cum enim uſucapio eſſet modus acquirendi dominium Quritarium, Ulpianus in fragmentis, tit. 19. in rebus nec mancipi uſucapio non procedebat; dabatur tamen præſcriptio, qua mediante poſſeſſor excludebat dominium bonitarium. Juxta quam doctrinam exaudiendi ſunt textus in l. finita 15. §. ſi de vectigalibus, & in §. ſed in vectigali, ff. de damno infect. junctis Anton. Fabro l. 20. conject. c. 11. Oſualdo l. 20. commentar. Donelli, cap. 8. litt. N. Pichardo in princ. Inſtit. de interdictis, n. 157. Aſin. in dict. rubric. de uſuc. pro empt. n. 114. l. cum ſponſus 12. §. in vectig. ff. de public. juncto Fabro in ejus rationali. Hanc autem rerum præſcriptionem transformavit Imperator Juſtin. in legitimam, & quiritariam uſucapionem, utrique eamdem naturam, requiſita eadem, & idem jus prorſus tribuens, l. unic. C. de uſuc. transform. princ. Inſtit. hoc tit. nam cum ipſe ſuſtuliſſet differentiam inter res mancipi, & non mancipi abolitis dominiis quiritario, & bonitario, inde omnia prædia, tam provincialia, quam Italica uſucapi, ſeu præſcribi poterant. Quæ transformatio jure canonico, & regio ita admiſſa eſt, ut utroque jure attento, per præſcriptionem, ſicut per uſucapionem, verum, perfectumque dominium acquiratur: de quo acquiſitionis modo agitur in hoc titulo. 10 Amplior vera ſententia.

Supereſt pro explicatione prædictæ ſententiæ, ut effectus hujus veteris præſcriptionis rerum breviter perſtringamus. Et licet præſcriptio illa verum dominium, & perfectum præſcribendi non tribueret, præſtabat tamen illa retentionem, & temporis exceptionem adverſus illum, qui jure dominii rem vindicabat. Sed quia exceptio tantum prodeſt ad repellendum actorem, non vero ad agendum, l. non exceptionibus 33. C. de except. l. ſi in area 33. ff. de condict. indeb. §. cum in ſuo ſolo, Inſtit. de rerum diviſ. ideo ſi poſſeſſionem rei caſu amittebat, nullam habebat civilem actionem, nec ad recuperandum dominium, quod non acquiſierat, nec ad petendam poſſeſſionem. Unde recte hoc diſcrimen inter uſucapionem, & præſcriptionem agnoverunt Cujac. ad tit. C. de præſcript. longi temp. Connanus l. 3. comment. c. 4. Concius l. 5. diſp. c. 12. Parladorius l. 1. rerum quotid. c. 1. §. 1. & 2. Treutl. volum. 2. ſelect. diſp. 22. theſi 1. litt. H, Revard. in Tribon. in princ. Galbanus de uſufruct. c. 11. Mela 2. part. de præſcript. c. 1. videlicet quod ex uſucapione dabatur rei vindicatio, ex præſcriptione vero nulla actio civilis dabatur. Signanter dixi actionem civilem; nam præſcribendi dabatur adverſus extraneos actio in rem prætoriam, ideſt publicianam, l. ſi quis 8. C. de præſcript. trigint. quæ actio a Prætore dabatur ei, qui erant in cauſa uſucapiendi, ſi poſſeſſionem 11 De effectibus veteris præſcr.

rei caſu amiſerat, l. 1. ff. de publiciana; quæ actio etiam utilis dabatur præſcribenti, dict. l. cum ſponſus 12. §. 1. in vectigali. Unde ſi illa dabatur præſcribenti, multo magis completa præſcriptione danda erat, ut ratiocinatur D. Joſeph de Retes de uſucap. n. 43.

12 De tempore præſcr. Hæc autem præſcriptio rerum (ut omittamus præſcriptionem actionum) ut per illam acquiratur earum dominium, petit bonam fidem, juſtum titulum, poſſeſſionem continuatam, ideſt non interruptam per legitimum tempus, videlicet a jure præſcriptum. De bona fide agemus in c. vigilanti, c. fin. hoc tit. in c. ſi diligenti, infra. De poſſeſſione in c. illud infra. De tempore nunc agendum eſt: & ut illud ab origine repetamus, ſciendum eſt, res mobiles, & ſe moventes anni ſpatio olim uſucapi potuiſſe, ut ex Cicerone pro Cecinna, & in Topicis, tradiderunt Balduin. ad l. 12. Tabul. c. 10. Revardus ad eaſdem leges, c. 17. Cujac. in l. 3. ff. de uſucap. unde legem 12. Tabul. ita refert Gothofredus tab. 6. Uſus auctoritas fundi biennium: annus uſus eſto. Quæ lex viguit temporibus Juriſconſultorum. Ulpianus in fragmentis, tit. 19. de dominii acquiſitione, ibi: Rerum mobilium anni, immobilium triennii. Cui principio ne obſtet lex cum ſponſus 12. §. ult. ff. de public. videndi ſunt Cujac. ibi, Amaya in l. 6. C. de jure fiſci, ubi num. 29. exponit legem 11. C. de omni agro deſert. l. 11. & duravit uſque ad tempora Juſtiniani, qui uſucapionem transformavit, & in rebus mobilibus, & ſe moventibus conſtituit triennium ad uſucapionem, d. l. unic. C. de uſucap. transform. princ. Inſtit. de uſucap. ubi notarunt Theophilus, & Giphan. & alii Inſtitutarii. Nec obſtat, quod in libris Digeſtorum nullibi invenitur, res mobiles anno uſucapi, ſed tantum legitimo, vel conſtituto tempore; quia cum Tribonianus agnoviſſet tempus uſucapionis rei mobilis immutatum fuiſſe per Juſtinianum, ideo ubi agendum erat de uſucapione rei mobilis, non anni, ſed temporis conſtituti, & legitimi mentionem fecit, ut notarunt Cujac. in l. 3. ff. de uſucap. Varo, & Giphanius in princ. Inſtit. de uſucap. Gibal. de negot. t. 2. l. 5. c. 5. art. 5.

13 De præſcriptione rerum immobilium. Nunc agendum eſt de tempore neceſſario ad præſcriptionem rerum immobilium, quæ ex lege XII. Tabul. biennio præſcribebantur uſque ad conſtitutionem Juſtiniani, qui uſucapionem in præſcriptionem transformavit, & pro biennio ſubrogavit longi temporis acquiſitionem, 10. annorum inter præſentes, & 20. inter abſentes, d. l. unic. C. de uſuc. tranſf. princ. Inſtit. de uſucap. Unde præſcriptio illa biennii rerum immobilium tantum Conſultorum tempore viguit. Ulpianus in fragm. tit. 19. ibi: Immobilium biennii. Notarunt Inſtitutarii in d. princ. de uſucap. & defendit Balboa in præſenti, num. 15. Sed licet res immobiles privatorum poſt novam Juſtiniani conſtitutionem longa poſſeſſione acquirantur, res tamen immobiles Eccleſiarum quadragenario tempore præſcribuntur, juxta textum in authent. de Eccleſiaſticis, §. pro temporalibus, authent. quas actiones, C. de ſacroſ. Eccleſ. c. ad aures. c. illud, c. indicante, hoc tit. Nec tunc obſtat textus in c. 1. & 2. c. ſicut quicumque, c. placuit, c. ſi ſacerdotes, 16. q. 3. ubi docetur contra Eccleſiam præſcriptionem tricennalem dari. Nam communiter reſpondetur, per canones antiquos Eccleſiæ comprobatam fuiſſe præſcriptionem tricennalem in rebus Eccleſiaſticis, juxta textum in d. c. illud, ibi: Licet quidam canones comprobent tricennalem. Quæ verba referenda ſunt ad textus in d. c. 1. & 2. 16. q. 3. & alios adductos ſupra pro illuſtratione præſentis concluſionis, qui correcti fuerunt jure noviori, quo inducta fuit quadragenaria præſcriptio. Ita docuerunt Gloſſa in c. 1. 13. q. 2. Covar. in regul. poſſeſſor, 2. p. §. 1. n. 1. Franc. Floreus in c. audetis, hoc tit. c. 3. & nos infra in c. 8. Pariſius in præſenti, n. 3. qui inde inferunt interpretationem ad Gelaſium in præſenti, dum admittit præſcriptionem tricennalem in rebus Eccleſiaſticis, ita ut procedat, & intelligatur juxta antiquos Eccleſiæ canones ſupra relatos; non vero procedat attento jure noviori, quo quadragenaria præſcriptio introducta eſt. Nec audienda eſt Gloſſa in c. 1. 16. q. 4. quam ſequuntur Abbas, Felinus, & communiter repetentes in præſenti. Covarr. l. 1. var. c. 4. n. 3. & Didacus Perez in l. 8. tit. 2. l. 1. ordin. dum docent, Gelaſium in præſenti non agere de rebus Eccleſiarum, ſed de rebus patrimonialibus Epiſcoporum, & Clericorum præſcribendis. Quæ ſententia probari non poteſt, tum quia repugnat verbis illis: " Ad ſingulas provincias noſtrorum fratrum „ pertinentes. „ Res enim patrimoniales Epiſcoporum, & Clericorum non pertinent ad provincias, ſed ad perſonas ipſas. Tum quia repugnant illa verba, Sanctorum Patrum, quibus probatur illam præſcriptionem tricennalem ſacris canonibus comprobari; ſed in nullo canone reperitur ſtatutum neceſſarium eſſe tempus 30. annorum ad præſcribendas res patrimoniales Epiſcoporum, & Clericorum, nec in hac parte ſimilia bona gaudent privilegio rerum Eccleſiarum. Igitur præſens textus accipi non poteſt de rebus privatis Epiſcoporum, vel Clericorum, ſed de rebus Eccleſiaſticis. Unde ſatisfactum manet dubitandi rationibus ſupra expenſis; ſiquidem Gelaſius in præſenti referendus eſt ad canones antiquos, non ad leges humanas præſcriptionem 30. annorum introducentes, de quibus in c. 2. & 5. hoc tit. in 1. collectione, de qua tricennali præſcriptione agemus in cap. vigilanti, hoc tit.

Ex ſupra traditis lucem accipit textus in can. 8. Concilii „ Emer. in illis verbis: " Unus de his, Selva nomine, S. „ Igeditanæ Eccleſiæ Epiſcopus interpellavit ſanctam Syno- „ dum, eo quod Juſtus Salmanticenſis Eccleſiæ Epiſcopus, „ debitam illi teneret diœceſim: hoc etiam adjiciens, ut de „ eo id, unde ad Galleciæ Metropolim diœceſis ſuæ fuerat „ poſſeſſum, ille reciperet, quamvis longa poſt tempora parochiæ ſuæ fuerant debita. Sed quia antiquorum canonum „ ſunt inſtituta, ut ſi in una provincia quiſquis Epiſcopus „ de alterius diœceſi partem aliquam per triginta annos poſ- „ ſederit, quietus teneat, juſtum perſpeximus, ut quia nec „ ille triginta annos adhuc habet, quo ad hujus provinciæ „ Metropolim reductus eſt: & ille quod perlongo tempore „ non poſſedit, & triginta adhuc non ſunt in hoc illi im- „ pleti anni, ſicut ille ad debitam diœceſim redit, ita & „ hic. „ In quibus verbis manifeſte docetur, contra Eccleſiam præſcriptionem tricennalem admitti: quod exaudiendum eſt juxta antiquos Eccleſiæ canones: Amplius ex eis deducitur, videlicet tempus tricennale omnino adimpletum deſiderari: quod adeo verum eſt juxta juris Cæſarei principia, ut tempus illud non computetur de momento ad momentum, ſed totus poſtremus dies ſit computandus, l. in uſucap. cum ſequenti, ff. de uſucap. ubi refertur, eum qui hora diei 6. Kalend. Januarii cœpit poſſidere, hora 6. noctis pridie Kalend. Januarii implere uſucapionem. Clarius id expreſſit Venulejus „ in l. in uſucapione 15. ff. de diverſ. & tempor. ibi: „ In uſu- „ capione ita ſervatur, ut etiamſi minimo momento noviſ- „ ſimo diei poſſeſſa ſit res, nihilominus repleatur uſucapio, „ nec totus dies exigitur ad explendum conſtitutum tempus. „ Quæ ultima verba ita exaudienda ſunt, ut licet in uſucapione computemus totum diem, non tamen exigamus totum diem, ut pro conciliatione textus in d. l. ideo 7. de uſucap. cum eo textu docuerunt Mercerius l. 2. opin. c. 4. Charondas lib. 3. veroſim. c. 17. Connanus l. 7. comment. c. 11. Balboa in præſenti, ex n. 23. Genoa in concil. legum, pag. mihi 467. quamvis aliter ea jura exponant Pancirol. l. 3. var. c. 9. Oſuald. l. 5. Donelli, c. 19. littera E, Aſin. de uſucap. ex n. 265. Salmult. ad Pancir. l. 2. tit. 20. pag. 194. Unde cum in caſu præſcriptionis non eſſet legitime impletum, recte ajunt Patres Epiſc. Salmantinum non poſſe præſcriptione ſe tueri. 14 Exponitur canon. 8. Concil. Emeriti.

CAPUT IV.

Alexand. III. a *Salernit. Archiepiſcopo*.

De quarta *b* decimæ oblationis *c* defunctorum *d* Clericus ab impetitione Epiſcopi quadragenali præſcriptione temporis ſe poſſe tueri videtur: niſi forte interim paſtoralis Sedes caruiſſet *e* Paſtore, qui jura Eccleſiæ ſuæ exigere debuit. Nam Rom. Eccleſ. triennalem præſcriptionem contra Eccleſiam non admittit.

NOTÆ.

1 a Alex. III.) Ita etiam legitur in prima collectione, ſub hoc tit. c. 6. in cujus epigraphe adjicitur pars c. Licet, in quibus verbis innuitur, textum hunc ſpectare ad epiſtolam Alexandri III. miſſam Archiepiſcopo Salernit. cujus variæ partes referuntur ſub diverſis titulis hujus voluminis, quas congeſſi in c. de corpore vitiat. quod etiam notavit Fileſac. de orig. parœc. c. 3. circa fin.

b Decimæ.) De quarta egi in c. conquerente, de offic. Ordin.

c Oblationes defunctorum.) Hæc quarta hodie non eſt in uſu: ejus loco ſucceſſit apud nos luctuoſa, de qua Garcia de expenſis lib. 1. c. 9. Barboſa de poteſt. Epiſc. allegat. 87. & nos plura dabimus in c. offic. de teſtam.

d Clericus.) Ideſt Parochus. Parochi enim clerici aliquando dicuntur. Concil. Epaun. can. 23. ibi: " Sanctorum re- „ liquiæ in Oratoriis villaribus non ponantur, niſi forſan cle- „ ricos cujuſcumque parochiæ vicinos eſſe contingat, qui ſa- „ cris cineribus pſallendi frequentia famulentur. " Clerici parochiani dicuntur in Concilio Aurelian. 4. can. 6. Clerici parœciales in Concilio Brachar. 2. can. 2. Clerici locales in Concilio Tolet. 3. can. 20. notavit Fileſac. de orig. parœc. c. 3. circa finem.

e Paſtore.) Cum impedito non currat præſcriptio, ut dicemus infra in c. ex tranſmiſſa.

COMMENTARIUM.

Ex præſenti Alexandri III. Decretali ſequens communiter deducitur diſputanda aſſertio: „ Parochus per quadra- „ ginta annos præſcribit jus quartæ decimarum, vel mortua- „ riorum contra Epiſcopum: nec minori tempore, quam qua- „ draginta annorum contra Eccleſiam præſcribitur. " Probant eam textus in c. ad aures 9. c. quia indicante 9. hoc tit. c. olim 20. de cenſibus, c. cum inter 29. de V. S. c. 2. hoc tit. in 6. authent. quas actiones, C. de ſacroſ. Eccl. quæ reperitur in c. placuit 2. §. quas actiones 16. q. 3. l. 15. & 18. tit. 29. part. 3. Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa, Balboa, & Garanna in c. antecedenti, Gilkenius in d. authent. quas actiones, Quintanadveunas de juriſdict. c. de mero imperio, n. 26. Div. Joan. de Larrea, alleg. 68. Molina, & ejus addentes de primogenit. l. 1. c. 6. ex n. 51. Solorzanus de jure Indiar. 1. t. l. 3. c. 3. 2 Concluſio probatur.

Mar-

Marthi *de juriſdict. 4. part. c. 48.* Ughel. *in methodo juris can. fol. 231.*

4 *Traditur ratio dubitandi.* Sed hæc aſſertio difficilis redditur ſequentibus juris rationibus. Et prima naſcitur ex eo, nam quod alicujus eſt, in alium ſine facto ſuo transferri non debet, *l. id quod 11. ff. de R. J. leg. 9. §. ſi res 1. ff. de jur. dot.* Cicero *l. 3. offic.* ibi: „ Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis in„ commodo ſuum augere commodum, magis eſt contra na„ turam quam mors, quam paupertas, quam dolus. *Idque* „ *docet Caſſiodor. l. 9. ep. 3. ibi*: Iniquum enim eſt patrimonium „ augeri per damna miſerorum. “ Et *l. nam hoc 14. ff. de condict. indeb.* Unde Juſtinianus *in novella 9.* præſcriptionem iniquum juris compendium, & improbam juris allegationem appellat. Igitur etiam per 40. annos non poteſt presbyter præſcribere quartam decimarum, & oblationum, in præjudicium, & damnum proprii Epiſcopi, atque Eccleſiæ Cathedralis. Augetur hæc difficultas primo ex eo, nam præſcriptionis jus ex tempore quæritur, *l. uſucapio, ff. de uſuc. leg. longi temporis 2. & 7. C. de præſcr. longi tempor.* Sed tempus non eſt modus tollendi, vel inducendi obligationem, *l. obligationem, §. placet, ff. de O & A. l. ſi certis annis, C. de pactis, c. pervenit, de cenſibus.* Igitur tantum lapſu temporis non poteſt parochus liberari ab obligatione præſtandi quartam debitam Epiſcopo, eo ignorante. Accedit quia cum ignorantia nemo præſumitur ſuum jactare, *l. cum de indebito, ff. de probat.* Imo ignorans æquiparatur impedito, *l. male agitur, C. præſcript. 30.* Sed contra impeditum agere non currit præſcriptio, *l. 1. §. fin. C. de annal. exception.* dicemus infra *in c. ex transmiſſa.* Igitur contra Epiſcopum ignarum in præſenti ſpecie currere non debebat præſcriptio. Augetur ſecundo hæc dubitandi ratio, nam prohibita alienari, non poſſunt uſucapi, cum uſucapio ſit alienationis ſpecies, *l. alienationis, l. alienatum, ff. de V. S. l. 1. ff. de fundo dotali.* Sed Epiſcopus non poteſt quartam decimarum, & oblationum ſibi debitam, & per conſequens Eccleſiæ, alienare, *c. ſine exceptione 12. q. 2. c. nulli, de rebus Eccleſ.* Ergo nec præſcriptione poteſt actionem ad ipſam quartam ſibi competentem amittere. Augetur tandem hæc difficultas, nam aut Parochus in præſenti ſpecie ſciebat a jure, & ex ejus diſpoſitione ſe prædictam quartam Epiſcopo debere, vel putabat errore juris lapſus eam Epiſcopo non competere. Si ſciebat, ex defectu bonæ fidei illam præſcribere non poterat, *c. vigilanti, c. fin. hoc tit.* Si ignorabat, tali juris error impedit præſcriptionem, *leg. ſi fur 32. §. 1. ff. de uſucap. leg. 2. §. ſi a pupillo, ff. pro emptore, §. error, Inſt. de uſuc.* Ergo neutro caſu parochus poterat prædictam quartam præſcribere.

5 *De præſcriptione actionum ex jure civili.* Adhuc tamen defenſanda eſt præſens Alexandri deciſio, quæ procedit, & loquitur de præſcriptione actionis, ſeu juris ad quartam decimarum quod actio appellatur *in c. ad aures, hoc tit.* Cum enim jam *in c. 1. 2. & 3. hoc tit.* actum eſſet de præſcriptione rerum, in præſenti textu, & ſequenti agitur de præſcriptione actionum: pro cujus expoſitione, ut rem ab origine repetamus, ſciendum eſt, jure Digeſtorum, & Codicis plures fuiſſe actiones temporarias, quales erant actiones prætoriæ, quæ annales erant, juxta Prætoris imperium, quod annale erat, *leg. in honorariis 37. ff. de O. & A. princip. Inſtit. de perpetuis & tempor.* Item actio ædilitia & redhibitoria, quæ per ſex menſes tantum durat, *leg. ſciendum 19. §. tempus, ff. de ædilit. edict.* actio quanto minoris, quæ anno concluditur, *leg. cum ſex 55. ff. eodem tit.* actio injuriarum, quæ annalis eſt, *leg. ult. C. de injur.* actio de dolo, biennalis, *leg. ult. C. de dolo*, & ſimiles, quas congeſſit Cujac. *in tract. de præſcr. & terminis.* Similes actiones cum præſcriptione temporis conceſſæ, eo elapſo expirant, ſi in judicio propoſitæ non ſint; temporis enim præſcriptio, quę eſt exceptio contra actionem temporariam, ſolo lapſu temporis peragitur ſine poſſeſſione, ſine titulo, ſine bona fide, quia actiones temporariæ ipſo jure expirant, extinguuntur, & concremantur, ut loquitur textus *in leg. juſtas 6. C. de jure fiſci, l. 10.* ex eo quod ſuis temporibus in judicio productæ non ſunt. Dixi *ipſo jure*, ideſt ſine ullo facto debitoris, *leg. ſi quis 37. ff. de jure fidejuſſ. l. fin. ff. rem ratam haberi.* Docet præ ceteris Amaya *in d. l. juſtas*, Revard. *in Tribon. in princip.* P. Barb. *in rubric. C. de præſcr. 30.* Galban. *de uſufructu, c. 11. ex n. 6. & c. 12. n. 5.* ejus diſcipulus Mela *de præſcr. 2. parte, n. 3. & 4.* Nec aliquid deſideratur ex parte rei præſcribentis, ſed tantum adverſarii ſilentium ſufficit; ſi enim intra tempus non agat, & actionem amittit, debitor tempore liberatur, *l. ſi quis 37. ff. de fidejuſſ. leg. ult. ff. rem ratam haberi.* Nec hoc caſu attenditur bona, vel mala fides debitoris, ſed ſilentium adverſarii, ut docent Covarr. *in dict. regul. poſſeſſor, 2. parte, §. 11. n. 6.* Amaya *in dict. leg. juſtas, n. 25.* Aliæ actiones ſunt perſonales, ex contractibus, vel quaſi, damnis in rebus propriis admiſſis, veluti ex venditionibus, furtis, & ſimilibus, quæ licet jure civili proveniant, *ex l. 2. ff. de orig. juris*, tamen ſupponunt cauſam juſtam debendi, & ad juſtitiam commutativam pertinet, quas actiones recompenſativas non improprie appellat Pater Molina *de juſtitia, tract. 2. diſp. 66.* hujuſmodi actiones jure Digeſtorum perpetuæ erant, nec ullo actoris ſilentio amittebantur, *princip. Inſtit. de perpet.* atque ideo nulla poterat contra illas opponi præſcriptio, ut docetur de actione negotiorum geſtorum, *in l. adverſus 8. C. de non negot. geſt.* de actione competenti pro fideicommiſſo *in l. quæ 79. ff. de legat. 2.* de actione ex empto *in leg. empti 21. C. evicti* de actione tutelæ directa *in l. tutor 8. C. arbitr. tut.* de actione ad retrahendum ſervum fugitivum, *in leg. 1. C. de ſervis fugit.* de tribus judiciis diviſoriis, familiæ erciſcundæ, finium regundorum, communi dividundo, quia actiones mixtæ ſunt, & ita pro parte perſonales: ita docetur *in l. 3. & 4. C. in quibus cauſis ceſſet, l. ſervum 22. C. famil. erciſcundæ.* Noviori tamen jure Codicis, quod extat *in l. ſicut 3. C. de præſc. 30.* quæ deſumpta eſt ex *leg. unic. C. Theod. de actionibus certo tempore*, cautum fuit, ut omnes actiones, tam univerſales, quam ſpeciales; tam in rem, quam in perſonam; tam ex contractu, vel quaſi, quam ex delicto, vel quaſi, ſilentio, ſive præſcriptione 30. annorum finirentur, quod expreſſius cautum fuit *in l. 1. §. ad hæc, C. de annal. excep. l. 2. verſ. 1. C. de conſtit. pecun. leg. ult. C. unde vi.* Novioribus tamen conſtitutionibus cautum fuit, ut adverſus adſcriptitium, ſeu originariam conditionem æterna fuiſſet auctoritas; nec illi opponi poſſet præſcriptio tricennalis, *l. præſcriptionem 5. C. de præſcr. 30. l. ſi quis 55. C. de decur. l. 10. l. cum ſatis 23. C. de agric. l. 11.* Similiter tribus judiciis diviſoriis ſupra relatis opponi poteſt præſcriptio tricennalis, quia licet Theodoſius *in d. l. unic. C. Theod. de action. certo tempore*, excepiſſet judicium finium regundorum, tamen poſtea Juſtinianus de illis idem conſtituit, ac de ceteris actionibus perſonalibus, *in l. 1. §. ad hæc 1. C. de annali exc.* Quare Tribonianus in conſtitutione Theodoſii, quæ refertur *in l.* „ *ult. C. finium regund.* addit ea verba: „ Sed triginta tan„ tummodo annorum præſcriptionem locum habere. „ Nec conſtitutioni Juſtiniani obſtare videtur, ut recte notavit Cujac. *in d. l. 1.* & aperte probant integra ejus conſtitutionis verba, tum apud Julium Frontinum, tum *in l. ult. C. Theodoſ. finium regund.* in quibus nullum invenitur veſtigium tricennalis præſcriptionis. Sed nunc illud emergit dubium, an hæc præſcriptio tricennalis cogat ſocios in communione durare poſt 30. annos, nec poſſit alter a communione diſcedere. Et ſane ſemper placuit eorum opinio, qui docuerunt, præſcriptione etiam tricennali id fieri non poſſe, ut ex Cyno, Balbo, & aliis probat Pichardus *in recit. ad textum in l. 1. ff. famil. erciſc.* quam edidit poſt *§. quædam, Inſtit. de action.* ex duplici ratione. Prima, quia eſſe in communione, facultatis eſt, ac propterea neceſſitas permanendi in ea præſcriptione induci non poteſt, ex regula Legis ultimæ, *ff. de itinere, actuque.* Secundo ex eo, quia pacto fieri non poteſt, ne a communione diſcedatur, *l. in hoc 14. §. ſi conveniat 2. ff. communi divid.* Igitur nec præſcriptione id fieri poteſt, cum non ſoleat præſcriptio plus juris præſtare, quam partium conventio. Nec tunc obſtat quod dicebamus, præſcriptionem tricennalem obſtare prædictis tribus judiciis diviſoriis: nam illud, ut recte Pichardus ubi ſupra docet, procedit dumtaxat cum alter ex conſortibus tantum poſſidet rem in ſolidum, quaſi ſuam: quo caſu ille qui poſſidet per 30. annos, recte præſcribet jus ſolidæ rei contra alterum conſortem non poſſidentem, licet hoc jure noſtro Regio *in leg. 5. tit. 15. l. 4. recopil.* prohibitum ſit: quippe eo cautum eſt, etiamſi unus ex cohæredibus ſolus rem poſſideat, quantumvis longo tempore eam non poſſet acquirere. Circa actiones Eccleſiæ competentes Juſtinianus conſtituit in authentica *quas actiones, C. de ſacroſanct. Eccleſ.* relata a Gratiano *in c. placuit, §. quas, 16. q. 3.* ut omnes actiones Eccleſiæ competentes, quæ alias contra privatos biennali, vel tricennali præſcriptione tollerentur, non aliter quam quadragenaria præſcriptione elidantur. Quam conſtitutionem Eccleſiæ Patres amplectuntur in præſenti textu, & aliis ſupra pro ejus illuſtratione adductis, & explicant Giphanius *in l. ut inter 23. C. de ſanctis Eccleſ.* Caldeira *l. 3. var. c. 10.* Hunnius *volum. 2. diſp. 22. q. 22.* Unde conſtat, præſcriptionem hanc quadragenariam locum habere in rebus, & actionibus Eccleſiis, vel aliis piis locis pertinentibus. Secundo in hoſpitalibus, & Eccleſiis præſcribentibus contra alias Eccleſias. Tertio in caſu, quo Eccleſia ſuccedit privato, contra quem cœpta fuit præſcriptio. Quarto in annuis redditibus, aliiſque præſtationibus Eccleſiis, & piis locis competentibus, ut probat Richerius *in authent. quas actiones.*

Unde apparet vera ratio præſentis deciſionis; nam cum præſcriptio quadragenaria ſit omnium longior, & per quam actiones etiam perpetuæ tolluntur, *l. ſæpe 9. C. de præſcr. 30.* quia omnis perpetuitas in jure non excedit hanc ætatem, *l. cum notiſſimi, C. eodem tit.* Eſcobar *de ratiocin.* & etiam actio hypothecaria, quæ competit contra debitorem, ab ipſo 40. annis præſcribatur, *leg. cum notiſſimi 7. C. eodem tit.* & qui fundum patrimonialem Principis poſſidet ſub tributo, liberetur a tributi præſtatione per quadragenariam præſcriptionem, *leg. jubemus 14. C. de fundis patrim. l. 11.* & per eam tam ſecundum humanas leges, quam ſecundum conſtitutiones canonicas res, & actiones Eccleſię competentes præſcribantur; merito in præſenti deciditur, parochum liberari a præſtatione quartæ decimarum, & mortuariorum, ſi Epiſcopus per 40. annos eam non exegerit, niſi Eccleſia vacaverit; quo tempore non currit pręſcriptio, juxta ea, quæ dicemus infra *in c. ex transmiſſa.* Illud omittendum non eſt, in hac præſcriptione quadragenaria juxta leges civiles titulum non deſiderari, nec bonam fidem; unde eam iniquum præſidium, improbamque temporis allegationem appellat Juſtinianus *in authent. ut Eccleſia Romana, collat. 2.* ſed contentam eſſe ſolo ſilentio adverſarii, ut de tricennali ſupra dixi. Ceterum ſi præſcribenti aſſiſtant titulus & bona fides per quadraginta annos, æquipollet hæc præſcriptio immemoriali, ut per eam acquiri poſſint, quæ alioquin indigent immemoriali præſcriptione, ut docet Gloſſa *in c. 1.* per textum ibi, *hoc tit. l. 6.* quam doctrinam communiter in praxi receptam dicunt Petrus Barboſa *in l. competit 6. ex n. 59. C. de præſcr. 30.* Larrea *alleg. 68. per totam*, Molina, & ibi addentes *lib. 2. de primog. c. 6. ex n. 15.* Solorzanus *1. tom. de Jure Indiar. lib. 3. cap. 3. num. 71.* qui recte docent, etiam per illam præſcriptionem res majoratus præſcribi non poſſe. 6 *Traditur ratio decidendi.*

7 *Diſſolvitur dubitandi ratio.* Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta, nam potius verum eſt, præſcriptionem naturali rationi conſonam eſſe, ſiquidem ea introducta eſt ob bonum publicum, ut docetur *in leg. ultim. ff. pro ſuo, l. 1. ff. de uſuc.* ubi hujus boni publici ratio adjicitur, videlicet quia publice expedit, ut dominia rerum in incerto non ſint, & experientia neceſſarium eſſe docuit in exemplo Arati Scityonis, quod proferunt Plutarchus *in Arato*, Pauſanias *in Corinth.* ſive *lib. 2.* Tria enim commoda præſcriptio Reipublicæ parat. Primum, ut ſciant cives quid, quantumque in bonis habeant, ut ſic ſumptibus modum ſtatuant. Secundum, ut litibus, & diſcordiis finis imponatur. Tertium, ut cultura agrorum, aliarumque rerum jura non negligantur. Unde Cicero in oratione pro Cecinna, uſucapionem vocat finem ſolicitudinis, litium, & periculi: quæ loca late exornant probantes præſcriptionem non eſſe beneficium æquitati naturali contrarium, Bronchorſt. *enantioph. centur. 4. aſſert. 2.* Gilkenius *de præſcr. 1. par. cap. 1.* Solorzanus *tom. 1. de jure Indiarum lib. 3. cap. 3. n. 6.* & ideo introductam fuiſſe, ut eſſet aliquis litium finis, dixit Juriſconſultus *in leg. final. ff. pro ſuo*, ubi Gothofred. *litt. M*, & de triennali præſcriptione loquens Valentinianus gloriatur de anteceſſore ſuo Theodoſio, quod per illam profundæ quieti humani generis proſpexit, ut videre eſt *in leg. 1. C. Theodoſ. de 30. annor. præſcript.* quam ideo Caſſiodorus patronam humani generis vocavit *lib. 6. variar. cap. 37.* & legum culmen *lib. 3. epiſt. 31.* Probant Henellius *de dotal. c. 12. §. 24.* Licet autem rationem uſucapionis introducendæ non convenire præſcriptioni exiſtimet Parladorius *lib. 1. rerum quotidian. cap. 1. §. 3.* verius tamen eſt utrique conveniri, ut probat Chaves *in d. cap. ſi diligenti, part. 1. n. 6. & 17.* Proſequuntur alias rationes Menchaca *illuſtr. q. 52.* late Solorzanus *de jure Indiarum t. 1. lib. 3. cap. 3.* Donellus *lib. 5. commen. c. 3.* Gilkenius *de præſcr. 1. par. c. 1. per totum.* Connanus *lib. 3. commentar. c. 11.* Mela *de uſuc. par. 1. cap. 5. n. 7.* Balduin. *ad leg. 12. Tabul.* Faber *in Juriſprud. tit. 1. princ. 2. confut. 3.* Nec obſtat, quod expendebamus *ex d. l. id quod 11.* Nam omiſſa ſententia nonnullorum apud Oſualdum *lib. 5.* ad Donell. *cap. 4. litt. A. & cap. 30. litt. C.* Pinell. *lib. 1. ſelect. c. 17. n. 13.* qui voluerunt interpretari voluntatem in eo qui patitur rem præſcribi, vel uſucapi, quos refellit P. Barboſa *in leg. ſi quis emptionis, C. de præſcription. ex n. 14.* reſpondendum eſt, quod quotieſcumque concurrunt duæ rationes naturales, illa vincit aliam, quæ fortior eſt, quæque majori nititur fundamento, ob publicam reipublicæ utilitatem, *leg. Stichum 95. §. naturalis, ff. de ſolut.* Et hæc eſt ratio, quare introductæ ſunt uſucapiones, præſcriptiones, & ſervitutes; licet enim hæc omnia contra naturam introducta videantur, tamen revera non ſunt; cum in eis inveniatur alia ſuperior naturalis ratio, ut latius probant P. Gregorius *lib. 40. ſyntagm. c. ultim.* Menchaca *illuſtr. c. 51.* Covarr. *in d. reg. poſſeſſor, 3. par. in princ.* Oſualdus *lib. 5. c. 30. lit. A*, Treutl. *diſp. 22. theſi ultim.* Afin. *in d. rubric. C. de uſuc. pro emptor. ex n. 43.* Nec obſtat quod dicebamus, videlicet tempus non eſſe modum tollendæ obligationis; nam reſpondetur, acquiſitionem provenientem ex uſucapione, aut præſcriptione, non fieri, aut induci ſolo tempore, ſed auctoritate legis, quæ ex diuturno ſilentio domini rem ſuam, vel ſibi debitam petere negligentis, & tanto tempore tacentis, inducit ipſius rei, ſeu actionis amiſſionem, ut docent Dinus *in regula Sine poſſeſſione, n. 33.* Guttierez *in leg. nemo n. 877. ff. de l. 2.* Nec obſtat penultimum argumentum difficultatis; nam licet præſcriptio alienatio ſit, eſt tamen alienatio neceſſaria, quæ regulariter prohibita alienatione, inhibita non cenſetur, *l. ſi fundus 16. ff. de fundo dotali*: probavi *in c. final. ut lite pendente.* Quare præſcriptio alienatio neceſſaria dicitur, ut pluribus relatis docet Oſualdus ad Donell. *lib. 5. c. 30. litt. D.* Nec obſtat, quod in præſcriptione dominium quæritur ex voluntate domini, qui patitur uſucapere, *d. l. alienationis*: quare in rebus dotalibus, in quibus eſt permiſſa neceſſaria alienatio, *leg. 1. Dig. de fundo dotali*, uſucapioni locus non eſt, *leg. ſi fundus 16. Dig. de fundo dotali, leg. in rebus 30. §. 1. Cod. de jure dot.* quibus adde Cujacius *lib. 14. obſerv. cap. 9.* quo argumento multi ex interpretibus opinantur ſub interdictione alienationis etiam uſucapionem contineri: quorum ſententiam falſam eſſe oſtendit Pinellus *in authent. niſi tricennale tempus, ex num. 24. Cod. de bonis matern.* Unde oportet explicare ſenſum *in d. l. alienationis*; dicendumque eſt, alienationis verbo uſucapionem comprehendi, cum per eam non minus transferatur dominium, quam per aliam alienationis ſpeciem; ſed habito reſpectu ad dominium, cujus res capitur uſu, ipſe per uſucapionem conſenſum alienationi accommodare non videtur, cum multoties contra ignorantem currat præſcriptio, *l. final. C. præſcr. long. tempor.* unde ea verba dictæ legis *alienationis*, ibi: *Vix enim eſt*, improprie accipiuntur, ſicut etiam *in l. Imperatores 64. ff. de jure fiſci*, improprie, & velut quadam exaggeratione dicitur, reum voluntarie ſubjici pœnæ legis, dum delinquit, ut exornat Pinellus ſupra, *n. 32.* quæ expoſitio congruentior eſt aliis traditis per Cujacium *in d. l. alienationis*, Oſualdum ad Donell. *lib. 5. c. 4. litt. A.* Nec quod ex voluntate domini proprie procedat uſucapio, & ejus effectus, colligitur *ex d. l. ſi fundus 16. ff. de fundo dotali*, ibi enim dotalis prædii uſucapio interdicitur, quæ non habet cauſam antiquiorem dote, non quia lege Julia tollatur, ſed quia durante matrimonio mulier impedita eſt fundum dotalem petere, *d. l. in rebus, §. 1.* & impeditis non currit præſcriptio, *l. 1. l. 6. & ult. C. de annal. excep. c. quia diverſitatem 5. de conceſſ. preb.* notant Molina *lib. 4. de primog. c. 10. n. 3.* Barboſa *in rubric. ſolut. matrim. 4. p. n. 11. & 18.* Nec ultimum argumentum adverſatur; nam licet in præſenti tantum de tempore ad præſcribendum agatur, nulla mentione facta tituli, aut bonæ fidei, tamen ſupponitur tam bonam fidem, quam titulum præceſſiſſe: Sed quia Alexander III. tantum conſultus fuit de tempore neceſſario ad præſcribendam quartam Epiſcopo debitam, ipſa omiſit, & ſuppoſuit alia requiſita, videlicet titulum, & bonam fidem. Docuit Chaves *in c. ſi diligenti, n. 6.* ut bona fides in præſenti daretur, neceſſe eſt cum Gloſſa *hic, verbo Se tueri*, ſupponere Parochum, de quo in præſenti, non inchoaſſe ipſam præſcriptionem, ſed tantum inchoatam ab anteceſſore ſuo perfeciſſe; unde mala fides ejus auctoris illi non nocebat. Nam præterquam quod vitium perſonale nocet ſucceſſori univerſali, *l. an vitium 5. l. vitia 11. ff. de acq. poſſeſſ. l. 4. §. heres, ff. de uſuc.* non eſt neceſſaria in præſenti ſpecie hæc acceſſio poſſeſſionis. Quare dicendum eſt, quod cum jure communi omnes decimæ, & oblationes Parocho debeantur, *c. cum contingat*, cum vulgatis, *de decimis*; licet ex eis quarta pars Epiſcopo competat, ita demum debetur, ſi Epiſcopus eam petat: unde ſi per 40. annos Epiſcopus non petierit, ejus ſilentium parit liberationem Parocho, qui juſte retinet omnes decimas, & oblationes, in quibus a jure communi fundatam habet intentionem.

C A P U T V.

a Idem.

VIgilanti ſtudio cavendum eſt, ne malæ fidei poſſeſſores ſimus in prædiis alienis: quoniam nulla antiqua dierum poſſeſſio juvat aliquem malæ fidei poſſeſſorem, niſi reſipuerit, poſtquam ſe aliena *b* noverit poſſidere, cum bonæ fidei poſſeſſor dici non poſſit. Epheſinus *c* enim legislator ſolum propter vitandam miſerorum ſegnitiem, & longi temporis errorem, & confuſionem, primus *d* tricennali, vel *e* quadragenali præſcriptioni vigorem legis impoſuit. Nobis autem, tam in rebus cognitis, quam latentibus, placuit non habere vigorem.

N O T Æ.

1 *a* IDem.) Alexand. III. ut exprimitur poſt Conc. Later. ſub ipſo celebratum, *p. 38. c. 5.* Refertur autem hic textus in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 7.* cum hac inſcriptione: *Alexander Epiſcopus, Clemens glorioſus Martyr. lib. ſtromatum.* Sed vitiatam eſſe hanc inſcriptionem, jam notavit Scholiaſtes primæ collectionis Ant. Auguſt. Sancto Clementi Alexandrino Græco Scriptori in libris ſtromatum, ſive doctrinæ variæ, tribuendum eſſe hanc textum, docuerunt Boetius Epon. *lib. 1. de jure ſacro, ex n. 121.* perdoctus collega noſter D. Franc. de Valderrama *in c. fin. hoc tit. n. 3.* Sed ſedulo cum legiſſem libros ſtromatum S. Clementis, imo ejus opera diligenter perlegerem nuper edita, & notis illuſtrata a Friderico Salburgio; nec inveni verba hujus textus, nec ejus ſententiam, nec etiam recta temporis ſeries patitur textum hunc eſſe D. Clementis; nam S. Clemens Alexandrinus Epiſcopus floruit ſæculo 2. Eccleſiæ per annos 196. tricennalis vero præſcriptio admiſſa, & introducta fuit a Theodoſio Juniore, qui floruit quarto Eccleſiæ ſæculo, ut ſtatim videbimus. Quomodo ergo poterat Clemens eam referre, & improbare ſuo ſæculo. In hac igitur perobſcura auctoris hujus textus inveſtigatione exiſtimo primo, non injuſte in hac ſexta compilatione tribui Alexandro III. quia cum ipſius auctoritate hæc verba compilata eſſent poſt Concil. Later. *d. p. 38. c. 5.* illi ut compilatori Raymundus ea tribuit: in prima vero collectione referuntur verba hujus textus ut tranſcripta ex ſtrom. D. Clementis Martyris, quia etſi hodie inter ejus opera correcta, & emendata non reperiantur, nec vere eſſent Sancti Martyris, tamen quia ejus opera ab Arianis fuerunt depravata, teſte Rufino *in apol. pro Origene*, & aliquibus nævis ejus Commentarii reſperſi reperiebantur; ideo Gelaſius ejus opera inter apocrypha recenſet *in c. ſancta, 15. diſt.* narrat Baron. *anno 196.* credo ex his, quæ addita erant operibus Clementis Alexandrini, citaſſe Alexandrum III. verba in præſenti relata: ſed quia ipſa opera S. Clementis correcta poſtea fuerant, reſecatis ab eis, quæ ab Imperatoribus addita fuerunt, ideo verba ab Alexand. III. tranſcripta hodie inter opera Clementis non extant; ſi autem antiqua Clementis opera attendamus, textus iſte inter ea reperiebatur, etſi non ipſius Clementis, ſed Clementis Martyris eſſent.